LIBRARY OF CONGRESS

LIBRARY OF CONGRESS.

Chap. PA2277

No. .A4

UNITED STATES OF AMERICA.

432

DOCTRINA
COPULARUM
LINGUÆ LATINÆ;

SIVE

DE VI ATQUE USU ELEGANTIORI PARTICULARUM,

AC, ATQUE, ET, -QUE,

DEQUE EARUM FORMULIS,

COMMENTARIUS.

CONSCRIPSIT

HENRICUS E. ALLEN, A. B.

"Non sunt contemnenda, quasi parva, sine quibus constare magna non possunt."

LIBRARY OF CONGRESS
CITY OF WASHINGTON

LONDINI:

IN ÆDIBUS VALPIANIS.

VENEUNT APUD T. CADELL.

MDCCCXXX.

PA2277
.A4

PRÆFATIO.

In arte Grammaticâ evenire solet, ut, quò minùs quisque in ejus cognitione fuerit versatus, eò magis ad rem omnino extenuandam sit propensus. Quocircà credo equidem fore, qui huic non parvo—fortasse non inutili—labori meo nomen inertiæ imponant; immemores scilicet, jamdiu homines, feritate atque agresti immanitate omissâ, se ad mansuetudinem convertisse, artesque liberaliores affectâsse. Spero et futuros,—studio atque impetu quodam animi ad literas humaniores raptos,—quibus, si minùs operam, at certè propositum ac voluntatem meam sim probaturus. Sed ineptus videar, si his temporibus, et in hâc civitate, id institutum, quod sibi habeat propositum, juventuti viam in interiores elegantias Linguæ Latinæ aliquantò apertiorem atque expeditiorem facere, defensionem elaboratam putem desiderare: restat, ut pauca dicam de ipsius operis ratione.—Cùm primùm de particulis Linguæ Latinæ aliquid conscribendi consilium cepi, alterutram rationem, si modò juventutis utilitati servire vellem, mihi ineun-

dam intellexi;—ut aut plures particulas leviter perstringerem, aut paucas deligerem, quarum vim atque usum elegantiorem accuratiùs copiosiúsque explicarem. Hanc autem rationem potiorem duxi, cùm quòd confidebam, qui vel paucas studiosiùs intueri consuêsset, eum ad reliquas excolendas esse suâ sponte accessurum; tum quia mihi ipsi jucundior labor futurus videbatur. Igitur copulas illas quatuor, AC, ATQUE, ET, -QUE, omnino dignas existimavi, in quibus illustrandis industriam meam collocarem. Atque in harum potestatibus docendis, inque earum formulis congerendis, ita adhibui diligentiam, ut illius tamen moniti non fuerim oblitus, inter virtutes grammatici habendum esse "aliqua nescire." Hæc habui, de ratione operis quæ dicerem;—ex quo rei grammaticæ aliquid lucis accessisse si judices idonei pronuntiârint, me laboris in id impensi numquam pœnitebit.

DOCTRINA

ETC.

CAP. I.

DE CONJUNCTIONIBUS COPULATIVIS *AC* ET *ATQUE.*

1. Duæ copulæ, *ac* et *atque*, naturâ inter se conjunctæ, potestate pares, nobis sunt communiter tractandæ. Nimirùm, *ac* est ipsum *atque* decurtatum. *Atque* autem ex *ad* et *que* est conflatum: *Scalig. de Causis L. L.* I. 22. "*T* posuimus pro *d:—Adque* illi dixêre, nos *atque:* sanè melior priscorum ratio; nam et mollior sonus est, et origo servatur. Præpositionis enim vis adhuc manet: ut dicamus, Tu *atque* ego: et sit, Tu, *et ad te* ego." Ceterùm, *ac* et *atque* hôc inter se differunt, quòd alterum adhibetur insequente quâvis consonante præter *c*, *g*, et *q;* insequente vocali, numquam;* alterum sæpe etiam consonantibus, sed plerúmque vocalibus, præponitur.

* Illud autem annotandum videtur, plerisque in editionibus Ciceronis operum *ac*, subsequente vocali, nonnusquam esse reperiendum: scilicet in his locis—*pro Flacc.* 3: *pro Mil.* 12: *Phil.* XI. 3: *ad Fam.* I. 9; XI. 28: *ad Att.* IV. 16; VII. 9; XIII. 48: *ad Q. Fr.* II. 6: *Tusc.* II. 5: *de N. D.* III. 33: quæ tamen omnia ferè loca diligentiâ doctissimi Ernesti sunt, aliud aliâ ratione, emendata.—Ad illas autem tres exceptas consonantes quod attinet, apud Ciceronem, "quem penes," ut mihi quidem videtur, "arbitrium est, et jus, et norma, loquendi," *ac*, sequente *g* aut *q*, sanè perrarò reperitur; sequente *c* verò, sæpiuscule. Absolutam esse sequentem tabulam, non planè affirmo, verùm tamen credo:—

Ac, sequente
- *G:—de Orat.* I. 2: *Orat.* 7: *Verr.* II. 29: *ad Quir.* 7: *pro Balb.* 24: *ad Fam.* XII. 7.
- *Q:—de Orat.* III. 15: *Agrar.* II. 36: *in Catil.* I. 7; IV. 8: *pro Domo suâ* 57.
- *C:—de Inv.* II. 30: *de Orat.* I. 40: *in Cæcil.* 22: *Verr.* III. 5; 88: V. 14; 35: *pro Cæc.* 7: *Manil.* 22: *pro Flacc.* 32: *pro Cœl.* 17: *in Pis.* 9; 39: *ad Att.* XII. 40; XVI. 11: *Acad.* IV. 11: *Tusc.* II. 21: *de N. D.* I. 2: *de Div.* II. 2.

2. Copulativè *ac* et *atque* in iis ferè rebus adhibentur, quæ, naturâ quodammodò conjunctæ, facilè ac lubenter inter se congruant consentiantque; cùm *et* et *que*, rerum delectu omni omisso, aurium arbitrio ponantur.—"De vestris conjugibus *ac* liberis, de aris *ac* focis, de fanis *ac* templis, de totius urbis tectis *ac* sedibus, de imperio, de libertate, de salute Italiæ, deque universâ republicâ, decernite diligenter, ut instituistis, *ac* fortiter." *Cic. in Catil.* IV. 11. "Quis enim vestrûm, judices, ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali neque civili jure descripto, fusi per agros *ac* dissipersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu *ac* viribus, per cædem *ac* vulnera, aut eripere aut retinere potuissent?" *Id. pro Sext.* 42. "Vitam parcè *ac* duriter agebat, lanâ *ac* telâ victum quæritans." *Terent. Andr.* I. 1. 47.—"Nam, quid ego Ostiense incommodum, *atque* illam labem *atque* ignominiam reipublicæ querar, cùm, propè inspectantibus vobis, classis ea, cui consul populi Romani præpositus esset, à prædonibus capta *atque* oppressa est?" *Cic. pro L. Manil.* 12. "Cùm in maximis periculis hujus urbis *atque* imperii, gravissimo *atque* acerbissimo reipublicæ casu, socio *atque* adjutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco, cædem à vobis . . . depellebam; sperabam,—"*Id. pro Flacc.* 1. "Domum ejus exornatam *atque* instructam ferè jam iste reddiderat nudam *atque* inanem." *Id. in Verr.* II. 34. "Neque quidquam aliud agitur hoc judicio, nisi ut . . . Siculi, coloni populi Romani *atque* aratores, . . . me duce *atque* auctore, in agros *atque* in ædes suas revertantur." *Ib.* III. 98.

Ac vel *atque* augentis.

3. *Ac* vel *atque* aliquando vim habet augendi:—"At ego omnes dico plus, *ac* multò plus, quàm decumas, abstulisse." *Cic. in Verr.* III. 12. "Illud verò cui probari potest? te sine tuo quæstu, *ac* maximo quæstu, tantam tuam infamiam, tantum capitis tui fortunarumque periculum, neglexisse." *Ib.* 20. "Posteà decernitur,—*ac*, non variè, sed propè conjunctis sententiis,—ut—"*Ib.* IV. 65. "Profectus est aliquantò ante furorem Catilinæ, et ante suspicionem hujus conjurationis; . . . *ac* profectus est non modò ob causam, sed etiam necessariam causam." *Id. pro Sull.* 20. "Fugi'n' hinc? BY. Ego verò, *ac* lubens." *Terent. Andr.* II. 1. 39. "Faciam boni tibi aliquid pro istâ re, *ac* lubens." *Id. Heaut.* IV. 5.

15.—"In urbem dico, *atque* in urbis intimam partem, venisse piratas." *Cic. in Verr.* v. 37. "Decemviri primâ actione non judicaverunt; posteà, re quæsitâ et deliberatâ, sacramentum nostrum justum judicaverunt: *atque* hoc, et contrà dicente Cottâ, et Sullâ vivo, judicatum est." *Id. pro Cæc.* 33. "Cunctus senatus, *atque* ille senatus, quem etiam vos ipsi . . . laudare consuevistis." *Id. pro Rab., P. R.*, 7. "Quârè moneo vos, adolescentes, *atque* hoc meo jure præcipio,—" *Id. pro Sext.* 23. "Præstare hoc senator debeo, quantum possum, ne . . . : *atque* hoc, si inimicissimus essem C. Cæsari, sentirem tamen reipublicæ causâ." *Id. de Provinc.* 16. "Nec verò dubito, quin . . . : *atque* hoc non opinione timeo, sed interfui sermonibus." *Id. ad Att.* IX. 9. "Literis Græcis atque Latinis juxtà, *atque* doctissumè, eruditus." *Sall. Jug.* 95. Adde *Cæs. de B. G.* v. 18.——Eamdem vim habet *atque* in responsione, apud Comicos videlicet:—"Num quæ advenienti ægritudo objecta est? MN. *Atque* acerrima." *Plaut. Bacch.* III. 6. 9. *i. e.*, Mihi verò, atque acerrima. "Ecquid audes de tuo istuc addere? PE. *Atque* hilarissimè." *Id. Menæch.* I. 2. 40. *i. e.*, Ego verò, atque hilarissimè. [Vide infrà c. II. n. 2. et c. III. n. 19.]

Ac vel *atque* in correctione.

4. *Ac* in correctione intensivâ frequens est, nec à tali usu abhorret *atque*.—"An in commentariolis, et chirographis, et libellis, se uno auctore prolatis,—*ac* ne prolatis quidem, sed tantummodò dictis,—acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, . . . pro nihilo habebuntur?" *Cic. Phil.* I. 7. "Populus Romanus . . . magnâ—*ac* multò maximâ—parte non modò utilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit." *Id. Manil.* 18. "Si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus; cur non etiam—*ac* fortasse magis—propter se formæ dignitatem sequamur?" *Id. de Fin.* v. 17. "Atque, ut apum examina . . . : sic homines—*ac* multò etiam magis—naturâ congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam." *Id. de Off.* I. 44. "Ut pictura, et fabrica, ceteræque artes habent quemdam absoluti operis effectum; sic in omni naturâ—*ac* multò etiam magis—necesse est absolvi aliquid ac perfici." *Id. de N. D.* II. 13. "Proh dii immortales! . . . ludos esse pollutos significatis—*ac* planè dicitis." *Id. de Harusp. Resp.* 12.—"Rem difficilem, dii immortales! *atque* omnium difficillimam." *Cic. Orat.* 16. "Quârè, ut Numestio mandavi,

tecum ut ageret; item—*atque* eo, si potest, acriùs—te rogo, ut planè ad nos advoles." *Id. ad Att.* II. 24. "Multæ sunt domus in hâc urbe, Patres Conscripti,—*atque* haud scio, an pænè cunctæ—jure optimo." *Id. de H. R.* 7. "Pauci enim—*atque* admodùm pauci—honore et gloriâ amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere, possunt." *Id. de Leg.* III. 14.—Lege n. 52. et 54—57. infrà.

Ac vel *atque* in explanatione.

5. "Et profectò, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset: *ac* jam tum erat adolescentulus his studiis mirificè deditus." *Cic. de Orat.* I. 13. "Quapropter equidem et C. Marii, et ceterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes... testor, me pro illorum famâ, gloriâ, memoriâ, non secùs, ac pro patriis fanis atque delubris, propugnandum putare: *ac*, si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minùs strenuè caperem, quàm illi pro communi salute ceperunt." *Id. pro Rab. Post.* 10. "Non est ita, Quinte; *ac* potiùs ignoratio juris litigiosa est, quàm scientia." *Id. de Leg.* I. 6. "Cæsar suos à prœlio continebat; *ac* satis habebat in præsentiâ hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque, prohibere." *Cæs. de B. G.* I. 15. "Quarum rerum à nostris propter paucitatem fieri nihil poterat; *ac* non modò defesso ex pugnâ excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci, ubi constiterat, relinquendi, ac sui recipiendi, facultas dabatur." *Ibid.* III. 4.——Etiam in illo *Terentii*, *Andr.* V. 1. 22., *ac* vim habet explanandi; ceterùm, est parentheticum:—"Nescio, quid tibi sum oblitus hôdiè (*ac* volui) dicere." ubi ineptè interpretantur alii *contrà quàm*, alii *sicut*.—Atque hîc liceat quædam loca Ciceroniana proferre, in quibus scilicet *ac* non planè eamdem vim habet; quæ tamen, quò potiùs referam, non reperio; quæque non lubet mihi præterire:—"Quòd meam *βαθύτητα* in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto, probo; vehementer gaudeo: *ac* putâram secùs." *Ad Att.* VI. 1. "Philotimum circiter calend. Januar. in Chersonesum audio venisse: *ac* mihi ab eo nihil adhuc." *Ibid.* "Sed, si hoc ita est, huc veniat, necesse est: *ac* mallem illum." *Ib.* XI. 21. "Mihi quidem videtur etiam diutiùs afuturus: *ac* nollem; valdè enim hominem desidero." *Ib.* XIII. 2. "Brutus heri venit in Tusculanum post horam decimam: hôdiè igitur me videbit: *ac* vellem, cùm tu adesses." *Ib.* 7.—"De republicâ quid ego tibi subtiliter? tota periit: *atque* hôc est miserior, quàm

reliquisti, quòd tum videbatur ejusmodi dominatio civitatem oppressisse, quæ jucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie ; nunc repentè tanto in odio est omnibus, ut, quorsùm eruptura sit, horreamus." *Cic. ad Att.* II. 21. "*Atque* his principiis reliqua consentiebant." *Id. Phil.* I. 1. "*Atque* hoc rei exitus indicavit." *Id. de Leg.* III. 11. "*Atque* hoc quidem omnes mortales et intelligunt, et re probant." *Id. de Amic.* 7. "Quorum pater, homo prudens et gravis, haudquâquàm eloquens, et sæpe aliàs, et maximè censor, saluti reipublicæ fuit. *Atque* is, non accuratâ quâdam orationis copiâ, sed nutu atque verbo, libertinos in urbanas tribus transtulit." *Id. de Orat.* I. 9. "O literas mihi tuas jucundissimas, exspectatas, ac primò quidem cum desiderio, nunc verò etiam cum timore! *Atque* has scito literas me solas accepisse post illas, quas—"*Id. ad Q. Fr.* II. 8. "Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt: *atque* ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ, causâ fieri prædicant." *Cæs. de B. G.* VI. 22. [Vide infrà c. II. n. 6. et c. III. n. 20.]

Ac vel *atque* in ante-occupatione.

6. "Nimium inter vos, Demea,—*ac* non, quia ades præsens, dico hoc,—pernimium interest." *Terent. Adel.* iii. 3. 38. "Tu ad me tamen velim quàm sæpissime scribas, eóque magis, quòd prætereà nemo scribit: *ac*, si omnes, tuas tamen maximè exspectarem." *Cic. ad Att.* XI. 21.—"*Atque* aliquis dicat, Nihil promoveris. Multum: molestus certè ei fuero; atque animo morem gessero." *Terent. Andr.* IV. 1. 16. "Primùm hoc videamus, ejus hominis bona quâ ratione venierunt, aut quomodò venire potuerunt. *Atque* hoc non ita quæram, judices, ut id dicam, esse indignum, hominis innocentis bona venîsse." *Cic. pro Rosc. Am.* 43. "*Atque* hæc nunc, non ut facias, sed ut te facere et fecisse gaudeas, scribo." *Id. ad Q. Fr.* I. 1. 2. "*Atque* hæc non eò dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitâsse, sed potiùs, ut currentem incitâsse, videatur." *Ibid.* 16.

Ac vel *atque* in transitione.

7. "*Ac* duabus iis personis, quas suprà dixi, tertia adjungitur, quam casus aliquis, aut tempus, imponit." *Cic. de Off.* I. 32. "*Ac* ne illud quidem alienum est, de magistratuum . . . officiis dicere. Est igitur proprium munus magistratûs,—"*Ib.* 34. "*Ac* primùm, de illis tribus, quæ antè

dixi benevolentiæ præcepta, videamus." *Ib.* II. 9. "*Ac*, meâ quidem sententiâ, omnis ratio atque institutio vitæ adjumenta hominum desiderat." *Ib.* 11. "*Ac* primùm, Panætius in hoc defendendus est, quòd—" *Ib.* III. 7. "*Ac* ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris." *Ib.* 25. "*Ac* diligenter illud quoque attendere oportebit, num—" *Id. de Inv.* II. 41. "*Ac* primùm, quantâ innocentiâ debent esse imperatores?" *Id. Manil.* 13. "*Ac*, ne multa,—" *Id. ad Att.* VI. 9.—"*Atque*, his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur,—" *Cic. de Fin.* II. 14. "*Atque* adhuc ea dixi, cur causa Zenoni non fuisset, quamobrem à superiorum auctoritate discederet: nunc reliqua videamus." *Ib.* IV. 16. "*Atque*, ut ad hæc citeriora veniam, et notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt." *Id. de Leg.* III. 2. "*Atque*, ut C. Flaminium, atque ea, quæ jam prisca sunt, relinquam; quid juris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit?" *Ib.* 9. "*Atque*, ut omittam Græciam, ...in hâc ipsâ civitate—" *Id. de Orat.* I. 4. "*Atque*, ut jam ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poëta, quæratur,—" *Ib.* 49. "*Atque*, ut à familiari nostro exordiar, hunc—" *Ib.* II. 21. "*Atque* in hoc genere causarum nonnulli præcipiunt, ut—" *Ib.* 25. "*Atque* hîc illud videndum est,—" *Ib.* 31. "*Atque* illud optandum est oratori, ut—" *Ib.* 44. "*Atque* id primùm in poëtis cerni licet, ... quàm sint inter sese ... dissimiles." *Ib.* III. 7. "*Atque*, ut Latinè loquamur, non solùm videndum est, ut—" *Ib.* 11. [Vide infrà c. II. n. 12. et c. III. n. 22.]

Ac vel *atque* in commonitione.

8. In commonitione, sive conclusione partitivâ, *ac* vel *atque* usitatissimum est.—"*Ac* separatim quidem, quæ de principio et insinuatione dicenda videbantur, hæc ferè sunt. Nunc quiddam breviter et communiter de utroque præcipiendum videtur. Exordium—" *Cic. de Inv.* I. 18. "*Ac* de exordio quidem satis dictum est. Narratio—" *Ib.* 18. 19. "*Ac* de narratione quidem satis dictum videtur: deinceps ad partitionem transeamus." *Ib.* 21. "*Ac* personis quidem hæc videntur esse attributa. Negotiis autem quæ sunt attributa,—" *Ib.* 25. 26. "*Ac* negotiis quidem ferè res eæ, quas commemoravimus, sunt attributæ." *Ib.* 28. "*Ac* de inductione quidem satis in præsentiâ dictum videtur. Nunc deinceps ratiocinationis vim et naturam consideremus." *Ib.* 33. "*Ac*

de reprehensione hæc quidem existimavimus esse dicenda." *Ib.* 51. "*Ac* de malorum opinione hâctenùs. Videamus nunc de bonorum—" *Id. Tusc.* IV. 30. 31. "*Ac* mihi videor satis, et esse deos, et quales essent, ostendisse. Proximum est, ut doceam,—" *Id. de N. D.* II. 28. 29. "*Ac* de primâ quidem parte satis dictum est. Sequitur, ut doceam,—" *Ib.* 31. 32. "*Ac* de primo quidem officii fonte diximus. De tribus autem reliquis latissimè patet ea ratio, quâ—" *Id. de Off.* I. 6. 7.—"*Atque* hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium. Nunc exponemus,—" *Cic. de Inv.* II. 16. "*Atque* eæ quidem disceptationes, quæ ad cognitionem referuntur, sic ferè à doctissimis hominibus describuntur. Quæ verò referuntur ad agendum,—" *Id. de Orat.* III. 29. 30. "*Atque* in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summatim breviterque descripsimus." *Id. Orat.* 15. "*Atque* hæc quidem de rerum nominibus. De ipsis rebus autem—" *Id. de Fin.* III. 2. "*Atque* hæc quidem ille. Nos autem—" *Id. de N. D.* II. 37. 38. "*Atque* hæc in moribus. De benevolentiâ autem—" *Id. de Off.* I. 15. "*Atque* ab iis rebus, quæ sunt in jure societatis humanæ, quemadmodum ducatur honestum, ... satis ferè diximus." *Ib.* 18. "*Atque* hæc quidem hâctenùs: patefactus est enim locus ipse, ut non sit difficile in exquirendo officio, quod cuique sit præponendum, videre." *Ib.* 45. "*Atque* hæ quidem causæ diligendi gravissimæ: possunt enim prætereà nonnullæ esse leviores." *Ib.* II. 9. [Vide infrà c. II. n. 13. et c. III. n. 22.]

Ac in præteritione.

9. "*Ac* jam illa omitto: neque enim sunt aut obscura, aut non multa pòst commissa." *Cic. in Catil.* I. 6. [Vide infrà c. II. n. 14.]

Atque abrumpentis.

10. "Cetera, quamquàm ferenda non sunt, feramus. *Atque* ego, qui te confirmo, ipse me non possum." *Cic. ad Fam.* XIV. 4.

Atque in parenthesi.

11. "Quæro igitur, (*atque* hoc latè patebit) si fati omnino ...nulla vis esset,...num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent?" *Cic. de Fat.* 3. "Ecce alius cursor: (*atque* horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri)

sed ad cursorem redeo." *Id. de Div.* II. 70. "Hoc bellum quintum civile geritur; (*atque* omnia in nostram ætatem inciderunt) primum non modò non in dissensione et discordiâ civium, sed in maximâ consensione incredibilique concordiâ." *Id. Phil.* VIII. 3. [Vide infrà c. II. n. 18.]

Atque in responsione soliloquentis.

12. "Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? *atque* is est: Aggrediar hominem." *Plaut. Stich.* IV. 2. 4. "Dinarchusne illic est? *atque* is est: it ad nos." *Id. Trucul.* I. 2. 24.*

Atque pro *atque in primis* (infrà n. 33).

13. "Magna diis immortalibus habenda est gratia, *atque* huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis, quòd—" *Cic. in Catil.* I. 5. Huc referendum est illud *Virgilii, Æn.* I. 30:—"Troas, relliquias Danaûm, *atque* immitis Achilli." Quem ad locum ita Servius:—"Benè, secundùm Homerum, segregat ducem à populo:... Aut ideò intulit Achillem præcipuè, quòd Æneas cum Achille congressus sit," *etc.* Sed nimirùm, duces Græcorum si respexisset poëta, cur potissimùm Achilles erat inducendus? si Æneæ proprias res gestas, cur potiùs Achilles, quàm Diomedes? Et, quoniam hîc de "reliquiis" Græcorum (iisdemque alio sensu Trojanorum) mentio est facta, præcipuus locus ei jure tributus videtur, qui unus ex omnibus maximam stragem edidisset.

Ac vel *atque* pro *sicut.*

14. *Ac* vel *atque* pro *sicut*, vel *æquè ac* vel *atque*, nolim imitari.—"Vir bonus et prudens dici delector ego, *ac* tu." *Horat. Epist.* I. 16. 32. "Quem esse amicum ratus sum, *atque* ipsus sum, mihi." *Plaut. Bacch.* III. 6. 20. Plura apud Forcellinum.

Atque pro *tum.*

15. *Atque* pro *tum* in disputationibus exponendis rarius est, cùm in hâc re *et* sit usitatissimum (c. II. n. 54).—"*Atque* ille, Mihi verò, inquit, satis est argumenti,—" *Cic. de*

* In eâdem re adhibuit Terentius *et certè*:—"Andrium ego Critonem video? *et certè* is est: salvos sis, Crito." *Andr.* V. 4. 3. "Sed estne hic ipsus, de quo agebam? *et certè* is est." *Adel.* I. 1. 53.

Div. I. 6. "*Atque* ego, Accuratè tu quidem, inquam, Quinte, et Stoicè, Stoicorum sententiam defendisti." *Ib.* II. 3.

Atque pro *continuò* vel *statim.*

16. "Si brachia fortè remisit, *Atque** illum in præceps prono rapit alveus amni." *Virg. Ge.* I. 202. "Illos ut cæco recubans in limine sensit Cerberus, *atque*† omnes capitum subrexit hiatus, Sævus et intranti populo." *Stat. Theb.* II. 26. "Hic Quinctium...incautum hastâ transfigit: ille *atque*‡ præceps cum armis procidit ante proram." *Liv.* XXVI. 39. Adde loca Plautiana multa apud Forcellinum. Plura, qui velit, reperiat apud auctores, quos memoravit *Burmannus ad Virgilii* locum illum citatum, et *Dukerus ad Liv.* XXVII. 21.

Atque quasi pro *neque.*

17. "Nam, ubi chorus canentium non certis modis *atque* § numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac

* Ita interpretatur *Servius* ad l., *Gellius* x. 29., et *Nonius* XII. 44. Sed enim, hos in grammaticos si numquam incidissem, aut eorum interpretationem numquam accepissem, longè aliter equidem locum essem interpretaturus:—"Sic (*vidi*) omnia fatis in pejus ruere, ac retrò sublapsa referri: non aliter, quàm (*videmus eum retrò sublapsum referri*), qui adverso vix flumine lembum remigiis subigit, si brachia fortè remisit, atque (*si*) illum in præceps prono rapit alveus amni:" ut "atque illum—" esset sic accipiendum, ut alterum membrum hypotheseos. Nec obstat huic interpretationi ratio temporum,—*remisit—rapit,*—: nimirùm, utrumque verbum tempus præsens, ceterùm alterum perfectam, alterum imperfectam actionem, significat.

† Integro loco prolato, dubium erit nemini, quin *atque* copulandi vim suam servet:—

"Illos *ut* cæco recubans in limine sensit
"Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus,
"Sævus et intranti populo; *jam* nigra tumebat
"Colla minax, *jam* sparsa solo turbaverat ossa."

nempe τῷ *ut* respondet *jam.* Ceterùm, si quis correxisset *utque,* ut scilicet *ut* geminato geminatum *jam* responderet, *sensit—tumebat—subrexit—turbaverat*—, non mihi quidem ratio displicuisset.

‡ Veram esse hanc lectionem, haud facilè crediderim. Sanè puerilis adjectio:—"*ille atque præceps*" etc.: quasi id ita monendus esset lector, hominem hastâ transfixum continuò procidisse: quinetiam monstri simile est *atque* ita in secundum locum projectum. Olim legebatur:—"*Ille simul atque præceps cum armis procidit ante proram, victor*—" quam lectionem, à viris doctissimis spretam, non me quidem pudet recipere defendendam, quamque omnino revocandam censeo.

§ Ubi nonnulli *neque:* malè: nimirùm, in hujusmodi structuris ipsarum rerum inter se conjunctio efficit, ut singulæ particulæ negativæ sensui planè satisfacere videantur.

tumultuosum audientibus canere videtur." *Cic. Œcon.* I. "Profectò nihil est jam sanctum *atque** sincerum in civitate." *Id. pro Quint.* 1. "Nihil pensi *atque** moderati habere." *Sall. Catil.* 12. "Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum *atque* æquum, sciunt?" *Terent. Heaut.* IV. 1. 29. "Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio, *atque* hominem prospero invenire." *Id. Phorm.* V. 6. 4.

Atque is.

18. I. *Atque is* vim habet ferè intensivam.—"Cnidum, aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias, captas esse commemorem, cùm vestros portus —*atque eos* portus, quibus vitam et spiritum ducitis—in prædonum fuisse potestate sciatis?" *Cic. Manil.* 12. "Sollicitabar rebus maximis uno, *atque eo* perexiguo, tempore." *Id. in Verr.* act. I. 9. "Sed tamen distinebar, ut huic vix tantulæ epistolæ tempus habuerim, *atque id* ereptum è summis occupationibus." *Id. ad Att.* I. 14. "Inest hoc tempore haud obscurum odium, *atque id* insitum penitùs et inustum animis hominum amplissimorum." *Id. de H. R.* 25. "Alterum genus...obtinent, *atque id* ipsum laciniâ." *Id. de Orat.* III. 28. "Aditus . . . maximis defixis trabibus, *atque eis* præacutis, præsepit." *Cæs. de B. C.* I. 27. "Uno, *atque eo* facili, prœlio cæsi ad Antium hostes." *Liv.* IV. 57. Adde *Sallust. de B. J.* 89.: et *Cæs. de B. G.* VII. 53.——In illo autem *Cæsaris, de B. C.* I. 50. pronomen est omissum: "Ex totis ripis in unum, *atque* angustum, locum tela jaciebantur." Sic *ac* pro *atque eis* à *Livio* positum est, XXIII. 5: "Venusiæ cum paucis, *ac* semiermibus, consulem invenerunt." [Vide infrà c. II. n. 56. et c. III. n. 30.]

19. II. Ceterùm, *atque id* (subintellecto *facere*, vel sæpius *fieri*) propemodùm in particulæ naturam abiit, sicut apud Græcos καὶ ταῦτα.—"Negotium magnum est navigare, *atque id*† mense Quintili." *Cic. ad Att.* V. 12. "Næ ego essem hîc lubenter, *atque id* quotidiè magis; nî esset ea causa, quam tibi superioribus literis scripsi." *Ib.* XII. 9. "Multi

* Al. *neque.*

† Id est, *etiam mense Quintili;* quod scilicet anni tempus ad navigandum planè idoneum vulgò putatur: nam, quid sibi velint, qui "atque id" hoc loco interpretantur, *in primis* vel *præcipuè*, intelligere equidem non queo. *Idem ad eumd.* XIV. 7: "Volo mense Quintili in Græciam."

rogabantur, *atque id* ipsum consulibus invitis." *Id. ad Fam.* I. 2. "Sic enim habeto, numquam me à causis et judiciis disstrictiorem fuisse; *atque id** anni tempore gravissimo, et caloribus maximis." *Id. ad Q. Fr.* II. 16. "Totos dies potabatur, *atque id* locis pluribus." *Id. Phil.* II. 27. "Fani pulchritudo et vetustas Prænestinarum etiam nunc retinet sortium nomen, *atque id* † in vulgus: quis enim magistratus, aut quis vir illustrior, utitur sortibus?" *Id. de Div.* II. 41. "Iterum jam hic in me inclementer dicit, *atque id* sine malo." *Plaut. Amph.* I. 2. 110. [Vide infrà c. II. n. 58. et c. III. n. 33.]

20. III. *Atque id tamen* modificationem continet.—"Posuistis enim—*atque id tamen* titubanter et strictim—conjurationis hunc, propter amicitiam Catilinæ, participem fuisse." *Cic. pro Cœl.* 7.

Atque is quidem rarissimum est.

21. "Sunt enim, qui in rebus contrariis parùm sibi constent:—voluptatem severissimè contemnant, in dolore sint molliores; gloriam negligant, frangantur infamiâ: *atque ea quidem* non satis constanter." *Cic. de Off.* I. 21. subaudi *faciant.*

Atque equidem, pro *atque id*, omnino improbandum est.

22. "Colligavit primùm eum miseris modis. PA. Hem! Colligavit? PY. *Atque equidem*, orante, ut ne id faceret, Thaide." *Terent. Eun.* v. 5. 13.

Atque idem.

23. I. *Atque idem* vim habet ferè augendi: est autem rarius.—"Ut vir doctissimus fecit Plato, *atque idem* gravissimus philosophorum omnium." *Cic. de Leg.* II. 6. "Hunc ...L. Gellius...canorum oratorem, et volubilem, et satis acrem, *atque eumdem* et vehementem, et valdè dulcem, et perfacetum, fuisse dicebat." *Id. Brut.* 27. "Jugurtha,...fratre meo, *atque eodem* propinquo suo, interfecto, primùm regnum ejus

* Duriuscula fortasse ratio videatur, si quis huic exemplo usitatum resolvendi modum adhibere conetur: et meliùs, ut arbitror, locum tentes sic:—Atque id *me pati*, vel, atque id *ita se habere.* Vide infrà c. III. n. 34.

† Hoc loco *atque id* vim habet explanandi et definiendi: q. d., *nempe* in vulgus, vel *sed tantummodò* in vulgus.

sceleris sui prædam fecit; pòst,—" *Sall. Jug.* 14. [Vide infrà c. II. n. 59. et c. III. n. 36.]

24. II. *Atque idem* discretivum.—" Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrinâ, naturæ ipsius habitu propè divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor: etiam illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrinâ, quàm sine naturâ valuisse doctrinam. *Atque idem* ego contendo, cùm ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam conformatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere exsistere." *Cic. pro Arch.* 7. [Vide infrà c. II. n. 61. et c. III. n. 38.]

Atque ita.

25. I. *Atque ita* amplificantis.—" Chrysippus...magnam turbam congregat ignotorum deorum, *atque ita* ignotorum, ut eos ne conjecturâ quidem informare possimus." *Cic. de N. D.* I. 15. " Quid confitetur, *atque ita* libenter confitetur, ut non solùm fateri, sed etiam profiteri, videatur?" *Id. pro Cæc.* 9. " Paria cognosco esse ista in L. Murenâ, *atque ita* paria, ut neque ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superârit." *Id. pro Mur.* 7. " Sed videro hoc posteriùs, *atque ita*, judices, ut vel severissimis disceptatoribus M. Cœlii vitam me probaturum esse confidam." *Id. pro Cœl.* 15. " Quis umquam res, præter hunc, tragicas pænè comicè, tristes remissè, severas hilarè, forenses scenicâ propè venustate, tractavit; *atque ita*, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur?" *Id. de Orat.* III. 8. Adde *de Inv.* II. 57: et *pro Rab., P. R.*, 3: et *in Verr.* II. 22: et *pro Domo* 37: et *ad Fam.* XIII. 8. [Vide infrà c. II. n. 62.]

26. II. *Atque ita* distinguentis et explanantis.—" Salsum hunc possum dicere, *atque ita*, non ut ejusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum." *Cic. de Orat.* II. 61. " Quæ animi affectio . . . justitia dicitur: cui adjunctæ sunt pietas, bonitas, *etc.*: *atque* hæc *ita* justitiæ propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia." *Id. de Fin.* V. 23. " Sunt quidem certè in amicorum nostrorum potestate, *atque ita*, ut nullam mutationem umquam, hâc hominum ætate, habitura res esse videatur." *Id. ad Fam.* I. 8. " Mitto igitur ad te Trebatium, *atque ita* mitto, ut initio meâ sponte, pòst autem

invitatu tuo, mittendum duxerim." *Ib.* VII. 5. "Româ subitò ipse profectus pridie est, ut . . . : * *atque ita* profectus est, ut concionem turbulentam, in quâ ejus furor desideratus est, quæ illo ipso die habita est, relinqueret." *Id. pro Mil.* 10. "Frugi igitur hominem, judices, . . . plenum officii, plenum religionis, videtis positum in vestrâ fide ac potestate; *atque ita*, ut *com*missus sit fidei, *per*missus potestati." *Id. pro Font.* 14. "Dii immortales, quàm tu longè juris principia repetis! *atque ita*, ut ego non modò ad illa non properem, quæ exspectabam à te de jure civili, sed facilè patiar, te hunc diem vel totum in isto sermone consumere." *Id. de Leg.* I. 10. Adde *de Orat.* II. 22.

27. III. *Atque ita* in modificatione.—"Tu, mi Treboni, . . . quò tolerabiliùs feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato: *atque ita, si*† idem fiat à nobis." *Cic. ad Fam.* XV. 20.

28. IV. *Atque ita* sæpe exitum rei declarat.—"Is usque eò vitæ statum commutatum ferre non potuit, . . . ut se è superiore parte ædium dejecerit, *atque ita* interierit." *Nep. in Dion.* 4. "Sive velint Casilinenses se dedere, sive famem perpeti, *atque ita* perire, necesse est Casilinum venire in Hannibalis potestatem." *Cic. de Inv.* II. 57. "Daphitæ fatum fuit de equo cadere, *atque ita* perire." *Id. de Fat.* 3. "Supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: . . . insui voluerunt in culeum vivos, *atque ita* in flumen dejici." *Id. pro Rosc. Am.* 25. Adde *Cæs. de B. G.* I. 13; VI. 26; VII. 8. [Vide infrà c. II. n. 64.]

29. V. *Atque ita*, pro *et, hæc effatus, continuò*, apud

* *Atque ita profectus est*, etc.] "Ita," Anglicè, *under this circumstance.* Sensus autem est hujusmodi:—Profectus est; atque eò magis miranda erat ejus profectio, quòd præ instituto itinere etiam concionem turbulentam . . . negligendam esse putabat: profectus est; atque adeò tenax erat propositi nefarii, ut ne illa quidem cogitatio, quòd concio turbulenta erat relinquenda, ei in morâ esse quiret, quò minùs proficisceretur: ut ego quidem interpretor; sunt enim, qui ex "*ita*" hoc loco planè mirificum quiddam elicere velint, in hisque doctissimus Ernesti, à quo dissentire me sanè piget: vide *Clavem* ejus *Ciceronianam.*

† *Ita—, si—* in modificatione pro *eâ conditione—*, si— (Cæcina apud Cic. ad Fam. VI. 7), vel *eâ lege—, si—* (Cic. pro Sext. 10), usitatissimum est. *Cic. pro Mil.* 29: et *Phil.* VIII. 4; XIII. 3: et *ad Fam.* XI. 10; XIII. 1; XV. 4: et *ad Att.* VII. 7; IX. 2; 10; XII. 32; XIII, 12; XVI. 6: et *de Off.* I. 9; III. 3: et *de Senect.* 11.

Livium epicum quemdam colorem habet.—" Tum Jubellius, 'Quandoquidem,'—inquit, 'captâ patriâ, propinquis amicisque amissis, . . .—mihi ne mortis quidem copia eadem est, quæ his civibus meis; petatur à virtute invisæ hujus vitæ vindicta.' *atque ita* gladio, quem veste texerat, per adversum pectus transfixus, ante pedes imperatoris moribundus procubuit." XXVI. 15. " Ad id verò adeò accensus indignatione est rex, ut exclamaret, 'Quid victo gravius imperares, T. Quincti?' *atque ita* se ex colloquio proripuit." XXXII. 10.

Atque eò magis.

30. " Hîc, ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo; *atque eò magis,* quòd tu abes, qui consilio, gratiâ, studio, multis rebus occurreres." *Cic. ad Att.* V. 21. " Legem enim sibi ipsi dicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt; *atque eò magis,* si id, ut ante dixi, faciunt nullâ re commoti aliâ, nisi utilitate communi." *Id. in Verr.* III. 1. Adde *eumd. pro Rab. Post.* 17: et *Cæs. de B. G.* III. 14; V. 1.—Huc pertinet *atque eò etiam magis:* Cic. in Verr. II. 29.—Eódem referre licet *atque etiam hôc magis:* Cic. ad Att. I. 16.—Et nimirùm hâc ratione conjungere licet *atque hôc* vel *eò* cum quovis alio comparativo: " Sed in hâc causâ . . . ipsâ re et ratione exquirere possumus veritatem; *atque hôc faciliùs,* quòd—" *Cic. pro L. Manil.* 17. [Vide infrà c. II. n. 65. et c. III. n. 39.]

Atque eò minùs.

31. " Non ergo perdamus primum statim tempus; *atque eò minùs,* quòd initia literarum solâ memoriâ constant; quæ non modò jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est." *Quinctil. Inst. Orat.* I. 1. [Vide infrà c. II. n. 70. et c. III. n. 42.]

Ac maximè.

32. *Ac maximè* id uni, vel delectis aliquibus, ex multis tribuit maximè, quod cum eo, vel iis, est ceteris aliquâtenùs commune.—" Megara, vi capta, diruit ac diripuit ad reliquorum, *ac maximè* Syracusanorum, terrorem." *Liv.* XXIV. 35. " Scipio ipse gravi morbo implicitus . . . provinciam omnem, *ac maximè* longinqua ejus, turbavit." *Id.* XXVIII. 24. " Multa dehortantur à vobis, Quirites, nî studium rei-

publicæ omnia superet;—opes factionis, vestra patientia, jus nullum, *ac maxumè*, quòd innocentiæ plus periculi, quàm honoris, est." *Sall. de B. J.* 31. "Aulo omnes infesti, *ac maxumè*, qui bello sæpe præclari fuerant, quòd, armatus, dedecore potiùs, quàm manu, salutem quæsiverat." *Ib.* 39. "Obcultè per amicos, *ac maxumè* per homines nominis Latini et socios Italicos, inpedimenta parabant." *Ib.* 40. Adde *Cic. de Inv.* II. 10; 24: et *in Verr.* III. 9. —Reperitur etiam *atque—maximè*, sed rarissimè. "Multo inde sermone querebantur, *atque* id quidem Cassius *maximè*, amissas occasiones." *Cic. ad Att.* XV. 11. [Vide infrà c. II. n. 72. et c. III. n. 43.]

Atque in primis.

33. *Atque in primis* id uni ex multis tribuit maximè, quod cum eo est ceteris aliquâtenùs commune: *ac maximè* autem vel uni vel pluribus.—"Mirum me desiderium tenet urbis; incredibile meorum, *atque in primis* tui." *Cic. ad Fam.* II. 11.—Ceterùm, usitatius est *et in primis*, infrà c. II. n. 73: utroque autem multò usitatius *in primisque*, infrà c. III. n. 45.

Atque etiam.

34. I. *Atque etiam* emphasin habet plerúmque.—"Quæ cùm omnia, *atque etiam* multa alia majora, quæ consultò prætereo, accidissent,—" *Cic. pro Sext.* 23. "Illo, inquam, ipso die—die dico? immò horâ, *atque etiam* puncto temporis eodem,—" *Ib.* 24. "Nam, quis hoc non sentit, omnia alia esse nobis vacua ab omni periculo, *atque etiam* ab omni suspicione belli?" *Id. de Provinc.* 12. "Esto; concedatur hæc quoque acerbitatis et odii magnitudo: adeóne, ut etiam omnia vitæ salutisque communis, *atque etiam* humanitatis, jura violentur?" *Id. pro Deiot.* 11. "Et, quoniam in hoc officio studium meæ defensionis, ab accusatoribus, *atque etiam* ipsa susceptio causæ reprehensa est;—" *Id. pro Mur.* 1. "Dionysium velim . . . hortere, ut quàm primùm veniat, ut possit Ciceronem meum, *atque etiam* me ipsum, erudire." *Id. ad Att.* IV. 15. "Non dubito, quin mirere, *atque etiam* stomachere, quòd tecum de eâdem re agam sæpius." *Ib.* XVI. 16. Exempla sunt satis obvia.

35. II. *Atque etiam* in conjunctione, cum emphasi admodùm nullâ.—"Tu me, velim, certiorem facias, quid de

meis mandatis egeris; *atque etiam*, quid de tuo negotio." *Cic. ad Att.* I. 15. "Hæc præscripta servantem licet magnificè, graviter, animoséque, vivere; *atque etiam* simpliciter, fideliter, vitæque hominum amicè." *Id. de Off.* I. 26. "In quibus videndum est, non modò, quid quisque loquatur, sed etiam, quid quisque sentiat; *atque etiam*, quâ de causâ quisque sentiat." *Ib.* 41. "Hujus si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem major, sed multò illustrior, *atque etiam* honoratior." *Nep. Eum.* 1. "Imperat quàm plurimos utres *atque etiam* culeos comparari." *Ib.* 8.

36. III. *Atque etiam* in transitione.—"*Atque etiam* alia divisio est officii: nam et medium quoddam officium dicitur, et perfectum." *Cic. de Off.* I. 3. "*Atque etiam* in rebus prosperis . . . superbiam . . . fugiamus." *Ib.* 26. "*Atque etiam* in secundissimis rebus maximè est utendum consilio amicorum." *Ibid.* "*Atque* iis *etiam*, qui vendunt, emunt, *etc.*, justitia ad rem gerendam necessaria est." *Ib.* II. 11. "*Atque etiam* hoc præceptum officii diligenter tenendum est,—ne quem umquam innocentem judicio capitis arcessas." *Ib.* 14. "*Atque etiam* illæ impensæ meliores, muri, navalia, *etc.*" Ib. 17. "*Atque* hoc *etiam* animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta." *Id. de Orat.* II. 62. "*Atque etiam* in illo reprehendo eos, qui, quæ minimè firma sunt, ea prima collocant." *Ib.* 77.

Ac—quoque et *atque—quoque.*

37. Nisi in transitionibus, apud idoneos auctores vix reperias.—"*Ac* verbis *quoque* dilucidis utendum est." *Cic. de Inv.* I. 20. "*Ac* sunt alia *quoque* præcepta partitionum." *Ib.* 23. "*Ac* diligenter illud *quoque* attendere oportebit, num—" *Ibid.* II. 41.—"*Atque* hujus *quoque* exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus." *Cic. de Inv.* I. 3. "*Atque* illud *quoque* pertinet ad paucitatem, ne—" *Ibid.* 23. "*Atque* alii *quoque*—" Ibid. II. 2.

Atque item.

38. *Atque item* rarum est.—"*Atque item* in alteram partem, cohortandi causâ, profectus, pugnantibus occurrit." *Cæs. de B. G.* II. 21. "Proræ admodùm erectæ, *atque item* puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatæ." *Ibid.* III. 13. [Vide infrà c. II. n. 78. et c. III. n. 48.]

Atque insupèr.

39. *Atque insupèr* accessionem majorem notat: est autem rarius.—"Gratiæ legatis actæ: *atque insupèr* munera data, ac naves, quibus in Hispaniam reverterentur." *Liv.* XXX. 21.

Ac non.

40. *Ac non* vim habet explanandi, cúmque in quibusdam aliis formulis usitatum est, tum præcipuè in hypotheticis versatur. Ceterùm illud animadvertendum est, conditiones, hâc ratione enuntiatas, plerúmque esse ejusmodi, ut ex prioris cujusque positione alterius infitiatio sit necessariò intelligenda: sæpe ut contextum orationis intuenti, alterutram conditionem etiam abesse potuisse, videatur.

41. I. *Si—, ac non—, —.* "Nam, si quam Rubrius injuriam suo nomine, *ac non* impulsu tuo et tuâ cupiditate, fecisset;—" *Cic. in Verr.* I. 31. "Non dicerem, *si* pueri esse illam culpam, *ac non* patris, existimarem." *Ib.* III. 68. "Quæ sententia *si* valuisset, *ac non* ii maximè mihi, quorum ego vitæ consulebam, spe victoriæ elati, obstitissent;—" *Id. Phil.* II. 15. "Multò apertius ad intelligendum est, *si* sic consistitur aliquando, *ac non* istâ brevitate percurritur." *Id. de Orat.* II. 80. "Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, *si* verbis legum, *ac non* sententiis, pareatur." *Id. Partit.* 39. "Probè quidem sentis, *si* re, *ac non* verbis, dissident." *Id. de Leg.* I. 20. "Pluribus verbis ad te scriberem, *si* . . . res verba desideraret, *ac non* pro se ipsa loqueretur." *Id. ad Fam.* III. 2. Adde *in Verr.* I. 4; III. 30: et *de N. D.* II. 6.

42. II. *Si—, ac non—,* in correctione dubitativâ frequens est.—"Unum ostende verbum consecrationis in ipsâ tuâ lege; *si* illa lex est, *ac non* vox sceleris et crudelitatis tuæ." *Cic. pro Dom.* 50. "Quas ille leges (*si* leges nominandæ sunt, *ac non* faces urbis et pestes reipublicæ) fuerit impositurus *etc.*" Id. pro Mil. 12. "Quis enim umquam tam secundâ concione legem agrariam suasit, quàm ego dissuasi? *si* hoc dissuadere est, *ac non* disturbare ac pervertere." *Id. Agrar.* II. 37.—Nonnumquam accedit *potiùs.* "Atque etiam homines agrestes—*si* homines illi, *ac non* pecudes *potiùs*—etc." *Cic. Phil.* VIII. 3.——*Si quidem* rarissimum est. "Quæ erat ratio decumani,—*si quidem* decumæ, *ac non*

bona venibant aratorum,—ut pluribus aliquantò medimnis decumas emeret, quàm jugera erant sata?" *Cic. in Verr.* III. 47.

43. III. *Quasi—, ac non—.* "*Quasi* nunc id agatur, quis ex tantâ multitudine occiderit, *ac non* hoc quæratur, eum, qui Romæ sit occisus, utrùm verisimilius sit, ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romæ fuerit; an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit." *Cic. pro Rosc. Am.* 33. "Hoc enim verbo (*exhaurire*) est usus: *quasi* de aliquâ sentinâ, *ac non* de optimorum civium genere, loqueretur." *Id. Agrar.* II. 26. Adde *in Verr.* I. 56; V. 66. *Proinde quasi—, ac non—.* Sallust. de B. J. 4.—*Quasi verò—, ac non—.* Cic. in Verr. I. 13: et Tusc. III. 5. Cæs. de B. G. VII. 38.

44. IV. Sed, ut aliquando hypotheticas relinquamus, sunt et aliæ formulæ, in quibus *ac non* probè versetur, in quibusque eamdem conjunctionem rerum, eamdem secundi cujusque membri quasi-abundantiam, adgnoscas: quas quidem formulas satis sit, summatim et quasi per saturam adscripsisse.—"Lex Papiria vetat, ædes injussu plebis consecrari: sit sanè hoc de nostris ædibus, *ac non* de publicis templis: unum ostende verbum consecrationis in ipsâ tuâ lege." *Cic. pro Dom.* 50. "Hoc te exspectare tempus, tibi turpe est, *ac non* ei rei sapientiâ tuâ te occurrere." *Sulpic. ap. eumd. ad Fam.* IV. 5. "Nemo erat, qui illum reum, *ac non* millies condemnatum, arbitraretur." *Cic. ad Att.* I. 16. "Quî potes reperire . . ., qui . . . te . . . ament ex animo, *ac non* sui commodi causâ simulent?" *Id. ad Q. Fr.* I. 1. 5. "Perparvam verò controversiam dicis, *ac non* eam, quæ dirimat omnia." *Id. de Leg.* I. 20. "Clitipho cùm in spe pendebit animi; decipiam, *ac non* veniam." *Terent. H. T.* IV. 4. 5. Adde *Horat. Serm.* I. 2. 75: et *Cæs. de B. G.* III. 25.

45. V. Denique in interrogationibus *ac non* sæpe adsciscit sibi *potiùs.*—"Quamobrem enim scriba deducat, *ac non potiùs* mulio, qui advexit?" *Cic. in Verr.* III. 79. "Quis denique ita adspexit, ut perditum civem, *ac non potiùs,* ut importunissimum hostem?" *Id. in Catil.* II. 6.

Atque non.

46. *Atque non* rarissimum est, omninoque improbandum.

—"Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas; captis apud Pharsaliam Pompeii Magni scriniis epistolarum, ...concremâsse ea optimâ fide, *atque non* legisse." *Plin.* VII. 25 (26).

47. *Atque non* pro *sive—, sive non—*, Horatianum est.—"Vocatus, *atque non* vocatus." *Od.* II. 18. 40.

Ac tamen et *atque—tamen.*

48. In rebus quasi præter naturam conjunctis adhibentur: utrumque autem rarius est; suprà (n. 2.) scilicet dictum est, *ac* et *atque* in iis ferè rebus versari, quibus sit inter se naturalis aliquis concentus atque consensus.—"Omnes, trepidi improviso metu, *ac tamen* virtutis memores, *etc.*" Sall. Jug. 97. "Id sustulit; *ac tamen* eo contentus non fuit." *Cic. in Verr.* IV. 49. "Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret, *ac tamen* appellatione aliquâ cetera imperia præemineret." *Tacit. Ann.* III. 56. Adde *ibid.* VI. 22: et *Cic. de Orat.* I. 56.—"Hic amor Medeæ quanta miseriarum excitavit incendia! *atque* ea *tamen* apud alium poëtam patri dicere audet, se—" *Cic. Tusc.* IV. 32. "Quàm multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? *atque* is *tamen*, cùm in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, 'O fortunate,' inquit, 'adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.'" *Id. pro Arch.* 10. "*Atque* esse *tamen* multos videmus, qui neminem imitentur, et suâpte naturâ, quod velint, sine cujusquam similitudine consequantur." *Id. de Orat.* II. 23. Adde *in Catil.* III. 10: et *in Pis.* 30: et *de Off.* III. 33. [Vide infrà c. II. n. 93.]

Ac potiùs et *atque—potiùs.*

49. I. *Ac potiùs* et *atque—potiùs* vim habent explanandi; et negationem ferè sequuntur.—"Numquam sententias de manibus judicum vi quâdam orationis extorsimus, *ac potiùs*, placatis eorum animis, tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus." *Cic. de Orat.* II. 18. "Putat, eum ... consulatum hoc anno neglecturum, *ac potiùs* exercitum provinciamque retenturum." *Id. ad Att.* VII. 8. "Nec verò imperia expetenda, *ac potiùs* aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnumquam." *Id. de Off.* I. 20.—"Illud ... meminerimus, nîl nos præcipiendi causâ dicturos; *atque* ita *potiùs* acturos, ut existimatores videamur loqui, non ma-

gistri." *Cic. Orat.* 31. "Neque hoc . . . non vidistis, illam (*legem*) esse nullam, *atque* esse *potiùs* flammam temporis, interdictum sceleris, vocem furoris." *Id. pro Domo*, 26. [Vide infrà c. II. n. 95. et c. III. n. 56.]

50. II. Sed, antecedente *non*, omitti solet *potiùs*.—"Proponi oportet, quid afferas, . . .: sæpe *non* proponere, *ac* ratione ipsâ afferendâ, quid proponendum fuerit, declarare." *Cic. de Orat.* II. 41. "Sed, quoniam census *non* jus civitatis confirmat, *ac* tantummodò indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive; *etc.*" Id. pro Arch. 5. "Sed ad properationem meam quiddam interest, *non* te exspectare, dum ad locum venias; *ac* statim causam illam totam et tempus arripere." *Id. ad Fam.* v. 12.—"Oratorem autem...equidem *non* facio eumdem, quem Crassus; qui...: *atque* eum puto esse, qui—" *Cic. de Orat.* I. 49. "Sed, ut in ipsis diis immortalibus *non* semper eosdem, *atque* aliàs alios solemus et venerari, et precari; sic—" *Id. p. r. in Sen.* 12. Adde *Cæs. de B. G.* VII. 4.

51. III. *Atque—potiùs* in monitione.—"Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca; *atque* ea *potiùs* reminiscere, quæ digna tuâ personâ sint:"—*Sulpic.* apud Cic. ad Fam. IV. 5. "Noli ista meditari; *atque* illud cave *potiùs*, ne—" *Cic. pro Planc.* 21.

52. IV. *Ac potiùs* in correctione intensivâ.—"Istius fide —*ac potiùs* perfidiâ—decepti, . . . pro re certâ spem falsam domum retulerunt." *Cic. pro Rosc. Am.* 38. "Cùm sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos —*ac potiùs* interclusos—viderent,—" *Id. in Verr.* I. 51. "Ego omni officio—*ac potiùs* pietate—erga te, ceteris satisfacio omnibus; mihi ipsi numquam satisfacio." *Id. ad Fam.* I. 1. "Si quid in te peccavi,—*ac potiùs*, quoniam peccavi, ignosce." *Id. ad Att.* III. 15. [Vide infrà c. II. n. 96.]

Ac potissimùm.

53. *Ac potissimùm* est deligentis.—"Exsistat igitur ex hâc ipsâ familiâ aliquis; *ac potissimùm* Cæcus ille: minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit." *Cic. pro Cœl.* 14. "Ex hisque tuis sumam aliquem; *ac potissimùm* minimum fratrem, qui—" *Ib.* 15. "Sed, quoniam eâ tem-

pestate Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existumavi, unam ex tam multis orationem perscribere; *ac potissumùm*, quæ in concione post reditum Bestiæ hujuscemodi verbis disseruit:—" *Sallust. de B. J.* 30.

Atque adeò, formula correctionis usitatissima.

54. *Atque adeò* plerúmque vim habet intensivam; nonnumquam remissiorem.

I. "Mihi si quid deberetur, peterem, *atque adeò* jam pridem abstulissem." *Cic. pro Quint.* 14. "Habere domum clausam pudori et sanctimoniæ, patentem—*atque adeò* expositam—cupiditati et voluptatibus." *Ib.* 30. "Hoc consilio—*atque adeò* hâc amentiâ—impulsi, *etc.*" Id. pro Rosc. Am. 10. "Is inter honestos homines—*atque adeò* inter vivos—numerabitur?" *Ib.* 39. "Hoc significant—*atque adeò* apertè ostendunt, *etc.*" Id. in Verr. II. 60. "Decedendum—*atque adeò* fugiendum." *Ib.* 65. "Magna—*atque adeò* maxima." *Ib.* III. 5. "Cum maximo detrimento—*atque adeò* exitio—vectigalium, totam Hieronicam legem sustulisti. At quam legem corrigit, judices, *atque adeò* totam tollit? acutissimè ac diligentissimè scriptam: quæ—" *Ib.* 8. "Cùm hæc essent ita constituta, Verres tot annis—*atque adeò* seculis—inventus est, qui hæc non commutaret, sed everteret." *Ibid.* "Collusio cum decumanis, sociis tuis—*atque adeò* procuratoribus." *Ib.* 13. "Fructus integros—*atque adeò* bona fortunasque aratorum omnes vendidisti." *Ib.* 16. "Adducitur à Veneriis—*atque adeò* attrahitur—Lollius." *Ib.* 25. "Redemtorem decumarum—*atque adeò* arationum." *Ib.* 30. "Octoginta septem aratores unus ager istius injuriâ desiderat—*atque adeò* nostra republica, quoniam illa populi Romani vectigalia sunt, hunc tot patrum-familiâs numerum desiderat et reposcit." *Ib.* 51. "Si quis pudor in te—*atque adeò*, si quis metus—fuisset." *Ib.* 61. "Ostendi, istum decumas novâ lege,—*atque adeò* nullâ lege—contra omnium consuetudinem atque instituta, vendidisse." *Ib.* 62. Adde *pro Quint.* 31: et *pro Cluent.* 29: et *in Catil.* I. 2: et *pro Planc.* 19: et *ad Fam.* IV. 3: et *Terent. Hecyr.* III. 3. 37.

II. "Ego princeps in adjutoribus, *atque adeò* secundus: nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit." *Cic. ad Att.* I. 17. "Quod ad te anteà, *atque adeò* 'priùs,' scripsi, (sic enim mavis) ad scribendum, tibi itero dicere, fecisti me acriorem." *Ib.* XV. 13. "Quæ, si prodierit,

atque adeò cùm prodierit, (scio enim proditurum esse) audiet." *Id. pro Rosc. Am.* 35. "Tune etiam, *atque adeò* vos, geminæ voragines scopulique reipublicæ, vos meam fortunam deprimitis?" *Id. in Pis.* 18. "Nihil adolescente tuo, *atque adeò* nostro, (nihil enim mihi à te potest esse sejunctum) aut amabilius *etc.*" Trebon. ap. eumd. ad Fam. XII. 16. Adde *Cic. in Verr.* II. 36.

55. Nonnumquam accedit *potiùs.*—"Quo id jure—*atque adeò*, quo id *potiùs* more—fecisti?" *Cic. in Verr.* III. 50. "Quid huic cum Avito? nihil: *atque adeò*, quòd ille Oppianico familiarissimè est usus, *potiùs* etiam simultas." *Id. pro Cluent.* 62.

56. Ceterùm rationem hujusce rei dilucidè exposuit Auctor "*Rhetoric. ad Herenn.*" l. IV. c. 26:—"*Correctio* est, quæ tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto: Quòd si iste suos hospites rogâsset, *immò* innuisset modò; hoc facilè perfici posset. Item, Nam, postquam isti vicerunt, *atque adeò* victi sunt, (eam quomodo victoriam appellem, quæ victoribus plus calamitatis, quàm boni, dederit?)—. O virtutis comes invidia, quæ bonos insequeris plerúmque, *atque adeò* insectaris! Commovetur hoc genere animus auditoris. Res enim communi verbo elata, tantummodò dicta videtur: ast ea, post ipsius oratoris correctionem, magis idonea fit pronuntiatione. Non igitur satius esset, dicet aliquis, ab initio, præsertim cùm scribas, ad optimum et electissimum verbum devenire? Est, cùm non est satius, si commutatio verbi id erit demonstratura, ejusmodi rem esse, ut, cùm eam communi verbo appellâris, levius dixisse videaris; cùm ad electius verbum accedas, insigniorem rem facias: quòd si continuò venisses ad id verbum, nec rei, nec verbi, gratia animadversa esset."

57. Denique *atque adeò* aliquando est consilium modificantis.—Sic *Terent. Andr.* V. 6. 11: "Age, me in tuis secundis respice: tuus est nunc Chremes: facturum, quæ voles, scio esse omnia. *Pa.* Memini: *atque adeò* longum est, nos illum exspectare, dum exeat: sequere hâc me intùs ad Glycerium nunc." Nimirùm τὸ "memini" frigidius est, et auxilium ita ostendit, ut tamen moram nonnullam interponat: "atque adeò" autem est correctio hominis verentis,

ne—ipse felix—in re minùs felicis amici lentus remissusque videatur. Et *idem, Eun.* v. 5. 22: "*Atque adeò* autem cur non egomet introeo?" *i. e.* Sed cur rem tantam ancillulæ committo, ac non potiùs egomet protinùs introeo, ut ipsam Thaidem moneam, ne—? Sequentia autem loca, utpote *Ciceroniana*, interpretatione non egent:—"Quò mihi maturiùs ad Siciliæ causam veniendum est, relictis ceteris ejus furtis ac flagitiis; ut et viribus quàm integerrimis agere, et ad dicendum temporis satis habere, possim. *Atque adeò*, antè quàm de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de provinciæ dignitate, vetustate, utilitate, dicenda." *In Verr.* II. 1. "Fieri non potest, ut ... eum tu in tuâ provinciâ non cognôris. *Atque adeò*, ne hoc aut longius, aut obscurius, esse possit,—" *Ib.* 77.

Ac—quidem.

58. 1. *Ac—quidem* vim habet ferè intensivam.—"Doleo, *ac* mirificè *quidem.*" Cic. ad Att. II. 19. "Ædificati tibi in agris nihil reperio: in oppido est quiddam, (de quo est dubium, sitne venale) *ac* proximum *quidem* nostris ædibus." *Ib.* IV. 8. "Havere te scribis, accipere aliquid à me literarum: dedi, *ac* multis *quidem* de rebus." *Ib.* 15. "Cœnantibus pridie idus nobis, *ac* noctu *quidem*, Statius à te epistolam brevem attulit." *Ib.* IX. 8. "Ille verò meliùs, *ac* non paulò *quidem.*" Id. Tusc. II. 17. "Quas nos quidem ambas, hanc verò Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audîsti loquentem. Ego verò, *ac* lubenter *quidem*, inquit Brutus." *Id. Brut.* 58. "Pòst quàm assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse: *Ac* magnam *quidem*, inquit, *etc.*" Id. de Orat. II. 69. "Id estne numerandum in bonis? Q. *Ac* maximis *quidem.*" Id. de Leg. II. 5. Adde *Partit.* 40: et *ad Fam.* III. 6: et *Tusc.* II. 11. [Vide infrà c. II. n. 102.]

59. II. *Ac—quidem* declarantis et exponentis.—"Quo in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset; profectò, egestate et improbitate coactus, piraticam ipse fecisset: *ac* minore *quidem* cum reipublicæ detrimento, quàm quòd intra mœnia nefarius hostis prædoque versatus est." *Cic. p. r. in Sen.* 5.

Ac nimirùm est explanantis.

60. "Magnus sanè locus, et à vestris, Cotta, vexatus:

ac nimirùm vobiscum omne certamen est." *Cic. de N. D.* II. 29. "Quî potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multò plus afferat dignitatis, rei militaris, quàm juris civilis, gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perveniat: te gallorum, illum buccinarum, cantus exsuscitat: tu actionem instituis; ille aciem instruit:... ille exercitatus est in propagandis finibus; tu in regendis: *ac nimirùm* (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus præstat ceteris omnibus." *Id. pro Mur.* 9. [Vide infrà c. II. n. 108.]

Ac et *atque* in formulis comparationis, *etc.*

Idem—, ac vel *atque—.*

61. "Nam et vita est *eadem*, et animus te erga *idem, ac* fuit." *Terent. Heaut.* II. 3. 24. "Adversùs quæ singula quum respondere haud facile esset, et nunc quereretur, *eumdem* accusatorem capitis sui, *ac* judicem, esse; modò,—" *Liv.* VIII. 32. "Malis consiliis *idem, ac* bonis, juris et potestatis erit." *Id.* XXII. 39. "Virtus *eadem* in homine, *ac* deo, est." *Cic. de Leg.* I. 8.—"In *eamdem* fraudem ex hâc re, *atque* ex illâ, incides." *Terent. Heaut.* III. 1. 33. "Quid? hoc ipsum, quod..., unum et *idem* videtur esse, *atque* id, quod—?" *Cic. pro Dom.* 20. "In hanc argumentationes ex *iisdem* locis sumendæ sunt, *atque* in causam negotialem." *Id. de Inv.* II. 23. "Gallorum *eadem, atque* Belgarum, oppugnatio est." *Cæs. de B. G.* II. 6. [Vide infrà c. II. n. 118. et c. III. n. 58.]

62. *Idem—, ac si—.* "At accusat C. Cornelii filius, *idem*que valere debet, *ac si* pater indicaret." *Cic. pro Sull.* 18. "Neque verò *idem* perfici longo itineris spatio, quum per alios conditiones ferantur, *ac si* coràm de omnibus conditionibus disceptetur." *Cæs. de B. C.* I. 24. "Si classem, si exercitum amittat Hannibal, *idem* damni fore, *ac si* per alium ducem amittantur." *Liv.* XXXV. 42.

Totidem—, atque—.

63. "Quò factum est, ut... Miltiades... cum *totidem* navibus, *atque* erat profectus, Athenas... rediret." *Nep. in Milt.* 7.

Unus (pro *idem*)—, *atque*—.

64. "Quoties eorum quidpiam dices, toties *unum* dices, *atque* illud, temerè hunc pecuniam regi credidisse." *Cic. pro Rab. Post.* 9.

Item—, *atque*—.

65. "Cùm *item* ea, quæ metimur, *atque* ea, quæ numeramus, dici putant oportere." *Varr. de L. L.* VIII. 40. "Analogia non *item* ea definienda, quæ dirigitur ad naturam verborum, *atque* illa, quæ ad usum loquendi." *Ib.* IX. 4.

Talis—, *ac* vel *atque*—.

66. "Honos *talis* populi Romani voluntate paucis est delatus, *ac* mihi: salus tanto studio civitatis nemini reddita." *Cic. in Vatin.* 4.—"Faxo *tali* eum mactatum, *atque* hic est, infortunio." *Terent. Phorm.* v. 8. 39.

Is (pro *talis*)—, *ac si*—.

67. "Massilienses . . . in *eo* honore, in *eâ* meritò dignitate, audimus apud vos esse, *ac si* medium umbilicum Græciæ incolerent." *Liv.* XXXVII. 54.

Æquus—, *ac* vel *atque*—.

68. "Modò ne in *æquo* hostes vestri nostrique apud vos sint, *ac* nos socii; immò, ne meliore jure sint." *Liv.* XXXIX. 37.—"Quid habet populare ratio tua, cùm ex provinciâ populi Romani *æquam* partem tu tibi sumseris, *atque* populo Romano miseris?" *Cic. in Verr.* III. 19. "Aggerem novi generis . . . facere instituerunt, *æquâ* ferè latitudine, *atque* ille congestus ex materiâ fuerat agger." *Cæs. de B. C.* II. 15. [Vide infrà c. II. n. 119.]

Æquè—, *ac* vel *atque*—.

69. "Quamquàm autem in amicitiâ alii dicant, *æquè* caram esse sapienti rationem amici, *ac* suam; alii autem sibi cuique cariorem suam; tamen—" *Cic. de Fin.* III. 21. "Platonem quoque necesse est, quoniam nondum videbat sapientiam, *æquè* cæcum animo, *ac* Phalarim, fuisse." *Ib.* IV. 23. "Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis *æquè*, *ac* tu ipse, gauderet?" *Id. de Amic.* 6. "An exspectas, quid ego judicem de istis, qui tibi sunt *æquè* noti, *ac* mihi?" *Id. Brut.* 71. "Meaque officia . . . sic exsequar, ut me *æquè* tibi, *ac* fratri et liberis nostris, re-

stitutum putes." *Id. ad Att.* III. 15. "Me certè habebis, cui et carus *æquè* sis et jucundus, *ac* fuisti patri." *Id. ad Fam.* II. 2. "Civibus victis ut parceretur, *æquè*, *ac* pro meâ salute, laboravi." *Matius ap. eumd. ibid.* XI. 28. "Salus una in adversas eundi, ultróque terrendi: pavet enim hominem *æquè*, *ac* terret." *Plin.* IX. 46 (70). Adde *Cic. ad Quir.* 7: et *ad Fam.* IX. 22; XIII. 49; XVI. 21: et *Acad.* IV. 27: et *de Off.* I. 17. *Terent. Phorm.* I. 2; 43.— "At hi quidem coluntur *æquè*, *atque* illi; apud quosdam etiam multò magis." *Cic. de N. D.* III. 18. "Nam et lætamur amicorum lætitiâ *æquè*, *atque* nostrâ; et pariter dolemus angoribus." *Id. de Fin.* I. 20. "De hoc ego teste detraham, cui *æquè*, *atque* meo testi, ut credatis, postulo?" *Id. pro Cæc.* 10. "Quos *æquè*, *atque* te, summâ benevolentiâ sum complexus." *Id. ad Fam.* VI. 14. "In rebus minoribus socium fallere, turpissimum est, *æquéque* turpe, *atque* illud, de quo antè dixi." *Id. pro Rosc. Am.* 40. "Si cui fortè videor plùs, quàm ceteri, qui *æquè*, *atque* ego, sunt occupati, versari in studio literarum." *Id. Harusp.* 9. "Cur non *æquè* in oratione, *atque* in versu, numerus appareat." *Id. Orat.* 54. "Populus . . . nihil *æquè* in republicâ, *atque* illam veterem judiciorum vim gravitatemque, requirit." *Id. in Cæcil.* 3. "Hoc ego ad meum officium privatarum rerum *æquè*, *atque* ullam aliam rem, pertinere arbitror." *Brut. ad Cic.* 6. "C. Curtius Mithres est ille quidem, ut scis, libertus Postumi, familiarissimi mei; sed me colit et observat *æquè*, *atque* illum ipsum patronum suum." *Cic. ad Fam.* XIII. 69. "Te mihi fidelem esse *æquè*, *atque* egomet sum mihi, scibam." *Terent. Phorm.* IV. 1. 15. Adde *Cic. pro Cluent.* 44: et *ad Quir.* 6: et *ad Att.* XIII. 1. [Vide infrà c. II. n. 119.]

70. *Æquè*—, *ac si*—. "Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, *æquè* à te peto, *ac si* mea negotia essent." *Cic. ad Fam.* XIII. 43. "Quò factum est, . . . ut jumenta *æquè* nitida ex castello educeret, quum complures menses in obsidione fuisset, *ac si* campestribus ea locis habuisset." *Nep. in Eumen.* 5.

Par—, *ac* vel *atque*—.

71. "Neque enim mihi *par* ratio cum Lucilio est, *ac* tecum fuit." *Cic. de N. D.* III. 1. "Et *par* desiderium sui reliquit apud populum Romanum Labienus iste, patruus

vester, quisquis fuit, *ac* Ti. Gracchus reliquerat?" *Id. pro Rabir., P. R.*, 5. "Hanc post rem gestam, non ita multis diebus, M. Minutium Rufum, magistrum equitum, *pari ac* dictatorem imperio, . . . fugavit." *Nep. in Hannib.* 5. "In eo magistratu *pari* diligentiâ se Hannibal præbuit, *ac* fuerat in bello." *Ib.* 7. "Nequâquàm *pari* ad patienda ea robore, *ac* Romani, fuissent." *Liv.* XXIX. 4.—"Si *par* in nobis hujus artis, *atque* in illo picturæ, scientia fuisset." *Cic. de Inv.* II. 2. "*Pari*que eum, *atque* illos, imperio esse jussit." *Nep. in Datam.* 3. "Quibus illi agros dederunt; quosque posteà in *parem* juris libertatisque conditionem, *atque* ipsi erant, receperunt." *Cæs. de B. G.* I. 28. "Quâ ex parte est Hibernia, dimidio minor, ut existimatur, quàm Britannia; sed *pari* spatio transmissus, *atque* ex Galliâ, est in Britanniam." *Ib.* V. 13. "Cassius . . . *pari*, *atque* anteà, ratione egit." *Id. de B. C.* III. 101. [Vide infrà c. II. n. 120. et c. III. n. 59.]

72. *Par—, ac si—*. "In quo obfensæ minumum, gratia *par*, *ac si* propè adessemus." *Sall. Jug.* 102. "Eodem anno sæpius audita vox Principis, *parem* vim rerum habendam, à procuratoribus suis judicatarum, *ac si* ipse statuisset." *Tacit. Ann.* XII. 60.

Pariter—, ac vel *atque—*.

73. "*Pariter* nunc operâ me adjuves, *ac* dudum re opitulata es." *Terent. Phorm.* V. 3. 3. "Nisi tamen res publica—*pariter*, *ac* sævissimo imperio—benè atque decorè gesta." *Sall. Jug.* 100. "Eodem anno Agrippa Menenius moritur, vir omni vitâ *pariter* Patribus, *ac* plebi, carus." *Liv.* II. 33. "Trucidant inermes juxtà, atque armatos; feminas *pariter*, *ac* viros." *Id.* XXVIII. 20. "Cædes inde passim fugientium *pariter*, *ac* repugnantium, fieri cœpta est." *Id.* XXXI. 33. "Qui videt domi tuæ *pariter* accusatorum, *atque* judicum, consociatos greges." *Cic. Parad.* VI. 2. "Neque tamen secors victoriâ, aut insolens, factus; sed *pariter*, *atque* in conspectu hostium, quadrato agmine incedere." *Sall. Jug.* 100. "Voltu corporis *pariter*, *atque* animo, varius." *Ib.* 113. "Etrusci *pariter* armati, *atque* inermes, cæsi." *Liv.* VI. 10. "Et *pariter* facta, *atque* infecta, canebat." *Virg. Æn.* IV. 190. [Vide infrà c. II. n. 120. et c. III. n. 59.]

74. *Pariter—, ac si—.* " *Pariter, ac si* hostes adessent, munito agmine incedere." *Sallust. de B. J.* 46.

75. *Pariter—, atque ut*—,* nolim imitari.—" *Pariter* hoc fit, *atque ut* alia facta sunt." *Plaut. Amph.* IV. 1. 11.

Dispar—, atque—.

76. " Et, quoniam ostendi, judices, parem dignitatem ad consulatûs petitionem, *disparem* fortunam provincialium negotiorum in Murenâ, *atque* in Sulpicio, fuisse ; dicam jam—" *Cic. pro Mur.* 21.

Similis—, ac vel *atque—.*

77. " Emtio equina *similis* ferè, *ac* boum et asinorum." *Varr. de R. R.* II. 7. " Inter se jactabant, *similem* pavorem inde ac fugam fore, *ac* bello Gallico fuerit." *Liv.* VI. 28.— " *Simili* nos affectos esse supplicio, *atque* eos, qui—" *Cic. Hortens.* " Ita et *similis* erit finis boni, *atque* anteà fuerat, nec idem tamen." *Id. de Fin.* V. 14. " Quamobrem si quid, Hortensi, docere vis, ab isto *simile* in æstimatione, *atque* à ceteris, esse factum ; doceas, oportet—" *Id. in Verr.* III. 83. " Hortatur, ut *simili* ratione, *atque* ipse fecerit, suas injurias persequantur." *Cæs. de B. G.* VII. 38. " Ne *simili* utamur fortunâ, *atque* usi sumus." *Terent. Phorm.* prolog. v. 32. Adde *Auct. ad Herenn.* III. 15 : et *Cic. pro Rabir., p. r.*, 5. [Vide infrà c. II. n. 121.]

78. *Similis—, ac si—.* " Nec, si ille sapiens ad tortoris equuleum à tyranno ire cogatur, *similem* habeat vultum, *ac si* ampullam perdidisset." *Cic. de Fin.* IV. 12.

Similiter—, atque—.

79. " Neque verò illum *similiter, atque* ipse eram, commotum esse vidi." *Cic. Phil.* I. 4. " Et primùm, quod initio dixisti, videamus, quale sit :—*similiter* à nobis de antiquis philosophis commemorari, *atque* seditiosi solerent claros viros, sed tamen populares, aliquos nominare." *Id. Acad.* IV. 23. " An quia non omnibus horis jactamus Idus Martias, *similiter, atque* ille Nonas Decemb. suas in ore habet, eò—?" *Brut. ad Cic.* 17.—Huc refer *simillimè—,*

* Hîc omnino supervacaneum est *ut :* sicut infrà n. 106. *aliter—, atque ut—.*

atque—. "Hîc tamen excipit Pompeium; *simillimè*, ut mihi videtur, *atque* in illâ lege, quâ peregrini Româ ejiciuntur, Glaucippus excipitur." *Cic. Agr.* I. 4. [Vide infrà c. II. n. 121.]

80. *Similiter*—, *ac si*—. "Tu autem, qui id quæris, *similiter* facis, *ac si* me roges, cur te duobus contuear oculis, et non altero tantùm, cùm idem uno assequi possim." *Cic. de N. D.* III. 3.

Dissimilis—, *atque*—.

81. "Quiescendum; quod est non *dissimile*, *atque* ire in Solonium, aut Antium." *Cic. ad Att.* II. 3. "Erat non *dissimile*, *atque* Alexandriæ, genus ædificiorum." *Hirt. de Bell. Alex.* 18. "Quoniam *dissimiles* sint, qui audiunt, *atque* ille, qui vituperatur, nos sperare, illius vitam vehementer improbaturos." *Auct. ad Herenn.* III. 6. [Vide infrà c. II. n. 122.]

82. *Dissimilis*—, *ac si*—. "Hæc sunt, tribuni, consilia vestra; non, hercule, *dissimilia*, *ac si* quis ægro, qui, curari se fortiter passus, extemplò convalescere possit, cibi gratiâ præsentis, aut potionis, longinquum, et forsitan insanabilem, morbum efficiat." *Liv.* V. 5.

Juxtà—, *ac* vel *atque*—.

83. "*Juxtà* invia, *ac* devia, assueti discurrunt." *Liv.* XXI. 33. "Pro dignitate et gloriâ apud omne genus humanum, quod vestrum nomen imperiumque *juxtà*, *ac* deos immortales, jam pridem intuetur, pugnâstis." *Id.* XXXVII. 54. "Quò minùs mirandum, homines egentis, malis moribus, maxumâ spe, reipublicæ *juxtà*, *ac* sibi, consuluisse." *Sall. Catil.* 37.—"Absentiumque bona, *juxtà*, *atque* interemtorum, divisui fuère." *Liv.* I. 54. "In re *juxtà* manifestâ, *atque* atroci." *Id.* III. 33. "*Juxtà* hieme, *atque* æstate, bella gerere." *Id.* V. 6. "Parere, *atque* imperare, *juxtà* paratos." *Id.* VI. 6. "Trucidant inermes *juxtà*, *atque* armatos; feminas pariter, ac viros." *Id.* XXVIII. 20. "Literis Græcis, *atque* Latinis, *juxtà*, atque doctissumè, eruditus." *Sall. Jug.* 95. [Vide infrà c. II. n. 123. et c. III. n. 60.]

84. *Juxtà*—, *ac si*—. "Qui me cùm omnibus rebus,

quibus tribunus plebis potuit, defendit, tum reliquis officiis, *juxtà, ac si* meus frater esset, sustentavit." *Cic., p. r., in Sen.* 8. "Inde ad populandum agrum ducti milites, navalesque socii; *juxtà* effusi, *ac si* insulis cultorum egentibus prædarentur." *Liv.* XXII. 31. "Quotidie castra movere; *juxtà, ac si* hostes adessent, vallo atque fossâ munire." *Sall. Jug.* 45.

Perinde—, ac vel *atque—.*

85. "Ac philosophia quidem tantùm abest, ut *perinde,** *ac* de hominum est vitâ merita, laudetur; ut, à plerisque neglecta, à multis etiam vituperetur." *Cic. Tusc.* V. 2. "Ipse in Allobrogibus constiti, ut *perinde* * ad omnia paratus essem, *ac* res moneret." *Planc. ap. eumd. ad Fam.* X. 11. "Quem tametsi nemo est, qui videre velit, tamen nequâquàm *perinde,** *ac* dignus est, oderunt homines." *Pollio ib.* X. 31. "Aurum et argentum *perinde* aspernantur, *ac* reliqui mortales appetunt." *Justin.* II. 2. Adde *Tacit. Ann.* XIII. 16; XIV. 41.—"Vereor, ut hoc, quod dicam, *perinde* intelligi auditu possit, *atque* ipse cogitans sentio." *Cic. pro Marcell.* 4. "Nec despero tamen, quamquàm languet juventus, nec *perinde, atque* debebat, in laudis et gloriæ cupiditate versatur;—" *Id. in Pis.* 33. "Bruto cùm sæpe injecissem de ὁμοπλοίᾳ, non *perinde, atque* ego putâram, arripere visus est." *Id. ad Att.* XVI. 5. "Nequâquàm *perinde, atque* in captâ urbe, primâ die aut passim aut latè vagatus est ignis." *Liv.* V. 42. [Vide infrà c. II. n. 124.]

86. *Perinde—, ac si—.* "Nam, quæ perdifficilia sunt, *perinde* habenda sæpe sunt, *ac si* effici non possint." *Cic. Partit.* 24. "Quâ de re, quoniam comitia habita sunt, tuque nihil ad me scribis, *perinde** habebo, *ac si* scripsisses, nihil esse." *Id. ad Att.* III. 13. "Erat . . . mihi pollicitus, si quid opus esset: quod ego *perinde* tuebar, *ac si* usus essem." *Ib.* XIII. 49. "*Perinde* æstimans, *ac si* usus esset, quoniam sui fecissent potestatem." *Cæs. de B. C.* III. 2. "Tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus confluereret, *perinde, ac si* solus advenisset." *Nep. in Alcib.* 6. "Sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrymârit, . . .; *perinde, ac si* alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegii

* Al. *proinde*: Vid. not. ad n. 88. infrà.

damnâsset." *Ibid.* Adde *Tacit. Ann.* III. 50; XII. 12; 60. *Liv.* XXIV. 18; XXV. 5; 28; XXXI. 32; 50. *Cic. de Inv.* I. 54: et *pro Rosc. C.* 5.

Perinde, ac vel *atque*—, pro *perinde*—, *ac si*—.

87. "Quâ de causâ creatus L. Manlius, *perinde, ac* reipublicæ gerendæ, ac non solvendæ religione, gratiâ creatus esset, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit." *Liv.* VII. 3. "Africamque ei, *perinde, ac* debellatum in Italiâ foret, provinciam destinabant." *Id.* XXVIII. 38. "Et, quoniam nemo vestrûm... pro sententiâ quidquam dicere vult, aut audet; orationes legatorum... pro sententiis percenseamus; *perinde, ac* non postulaverint, quæ è re suâ essent, sed suaserint, quæ nobis censerent utilia esse." *Id.* XXXII. 21. "Quàm maximas potuerunt pecunias mutuati, *perinde, ac* satisfacere et fraudata restituere vellent, multis coëmtis equis, ad Pompeium transierunt." *Cæs. de B. C.* III. 60.—"Memoria utrùm habeat quidquam artificiosi, an omnis à naturâ proficiscatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nunc *perinde, atque* constet, in hâc re multùm valere artem et præceptionem; ita eâ de re loquemur." *Auct. ad Herenn.* III. 16. Adde *Sueton. in Neron.* 15.

Proinde, ac si—.*

88. *Proinde, ac si*—, nonnihil ironiæ continet.—"Victor ex Asiâ quum reverteretur, Thasumque divertisset, quòd ea civitas præcipuâ fide fuerat erga Athenienses, *proinde, ac si* iidem firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici, eam pervertere concupivit." *Nep. in Lysand.* 2. "Sed *proinde, ac si* virtute vicissent, neque ulla commutatio rerum posset accidere, per orbem terrarum famâ ac literis

* Formulas *proinde*—, *ac*—, et *proinde*—, *atque*—, sciens prudensque omitto, quippe quæ nusquam ferè reperiantur, ubi non sint, qui reponant *perinde*, et (credo) rectè reponant. Ceterùm, *proinde* pro adverbio similitudinis sæpe usurpari, non est infitiandum: et quidem plurima exempla congessit Forcellinus. Sed omnino, qui me audiet, numquam *proinde* ita adhibebit, nisi si quando fuerit *ironiæ* quodammodò serviendum. *Sallust. de B. J.* 4.:—"Etiam homines novi... furtim et per latrocinia potiùs, quàm bonis artibus, ad inperia et honores nituntur: *proinde*, quasi prætura, et consulatus, atque alia omnia hujuscemodi, per se ipsa clara, magnifica sint; ac non *perinde* habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est."

victoriam ejus diei concelebrabant." *Cæs. de B. C.* III. 72. "Aiunt enim, patriam amicitiæ præponendam esse: *proinde, ac si* jam vicerint, obitum ejus reipublicæ fuisse utilem." *Matius ap. Cic. ad Fam.* XI. 28.

Pro eo—, ac—, h. e., *perinde—, ac—*.

89. "Nam, primùm, debeo sperare, omnes deos, qui huic urbi præsident, *pro eo* mihi, *ac* mereor, relaturos gratiam esse: deinde,—" *Cic. in Catil.* IV. 2. "Posteà quàm mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ, filiæ tuæ, sanè quàm *pro eo, ac* debui, graviter molestéque tuli." *Sulpic. ap. eumd. ad Fam.* IV. 5.

90. *Pro eo—, ac si—*. "Si tacebitur, aut elicienda est responsio; aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, *pro eo, ac si* concessum sit, concludere oportebit argumentationem." *Cic. de Inv.* I. 32.

Dignè—, ac—,* h. e., *pro eo—, ac—* (89).

91. "Neque enim omnium judicio malim me à te commendari, quàm ipse tuo judicio *dignè, ac* mereor, commendatus esse." *Cassius ap. Cic. ad Fam.* XII. 13.

Proximè—, atque—.*

92. "Lepta verò cùm ita laboret, ut ejus fortunæ videantur in discrimen venire; non possum ego non aut *proximè, atque* ille, aut etiam æquè, laborare." *Cic. ad Fam.* IX. 13.

Simul—, ac vel *atque—*, pro *pariter—, ac* vel *atque—*.

93. "Horæque momento *simul* aggerem, *ac* vineas, tam longi temporis opus, incendium hausit." *Liv.* V. 7. "Territum prodigii talis visu, oculisque *simul, ac* mente, turbatum, Valerius obtruncat." *Id.* VII. 26. "Multitudine *simul, ac* tumultu, crescente." *Id.* XXIX. 9. "*Simul* parta, *ac* sperata, decora unius horæ fortuna evertere potest." *Id.* XXX. 30. "Clarum recensque noxæ *simul, ac* pœnæ, exemplum." *Id.* XXXI. 12. Adde *ibid.* 17: et *Tacit. Ann.* III. 31; 50: et *Sallust. de B. C.* 28.—"Eximio *simul* honoribus, *atque* virtutibus." *Liv.* VI. 11. "Clausas portas Tusculi,

* Hoc non temerè imitandum videtur.

Latinosque *simul* obsidentium, *atque* obsessorum, animo hinc mœnia Tusculi tueri vident, illinc arcem oppugnare; terrere unà, ac pavere." *Ib.* 33. "Tiridates, *simul* famâ, *atque* ipso Artabano, percussus." *Tacit. Ann.* VI. 44. "Cattos suos saltus Hercynius prosequitur *simul*, *atque* deponit." *Id. Germ.* 30. "Sed obstitit Oceanus, in se *simul*, *atque* in Herculem, inquiri." *Ib.* 34. "Quos ipsos *simul*, *atque* illos superiores, nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus." *Cic. de Inv.* II. 3. "At illum ingens cura *atque* lætitia *simul* obcupavêre." *Sall. Catil.* 46. Adde *Liv.* XXII. 60: et *Cic. in Verr.* V. 47. [Vide infrà c. II. n. 125. et c. III. n. 61.]

Simul ac vel *atque*, pro *simul ut* vel *cùm primùm*.

94. "*Simul ac* mihi collibitum est, præstò est imago." *Cic. de N. D.* I. 38. "Quod confido equidem consules designatos, *simul ac* magistratum inierint, esse facturos." *Id. Phil.* III. 1. "*Simul ac* progredi cœpero, quàm celerrimè potero, et quàm creberrimis literis, faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum atque itinerum meorum." *Id. ad Fam.* III. 5. "Itáque hominem furentem exsultantemque continui, *simul ac* periculum judicii intendi." *Id. de H. R.* 1. "Respexit; et *simul ac* Cn. Lentulum consulem adspexit, concidit." *Ibid.* "Venisti iratus omnibus: quod ego, *simul ac* te adspexi, priùs quàm loqui cœpisti, . . . sensi." *Id. in Vatin.* 2. "Ut, *simul ac* posita sit causa, habeant, quò se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere." *Id. de Orat.* II. 27. "Quis enim, cùm sibi fingit aliquid, et cogitatione depingit, non, *simul ac* se ipse commovit, atque ad se revocavit, sentit, quid intersit inter perspicua, et inania?" *Id. Acad.* IV. 16. Adde *in Verr.* I. 35; II. 19; 25; IV. 41; V. 8; 22; 54: et *de L. Agrar.* II. 30: et *ad Quir.* 5: et *pro Cœl.* 14: et *ad Fam.* XV. 16: et *ad Att.* XII. 7; 40; XIII. 16; 21; 22; 35; XIV. 22: et *Acad.* IV. 19.—"A quibus enim nihil præter voluptatem aurium quæritur, in iis offenditur, *simul atque* imminuitur aliquid de voluptate." *Cic. de Orat.* I. 61. "Me tamen ista oscitans sapientia, *simul atque* ad eam confugero, in libertatem vindicabit." *Ib.* II. 33. "Non enim, sicut argumentum, *simul atque* positum est, arripitur, alterumque et tertium poscitur; ita misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, *simul atque* intuleris, possis commovere. Argu-

mentum enim ratio ipsa confirmat, quæ, *simul atque* emissa est, adhærescit." *Ib.* 53. "Idque instituit docere sic: Omne animal, *simul atque* natum sit, voluptatem appetere, *etc.*" Id. de Fin. I. 9. "*Simul atque* natum animal est, gaudet voluptate." *Ib.* II. 10. "Qui (dolor), *simul atque* arripuit, interficit." *Ib.* 28. "Placet his,... *simul atque* natum sit animal,...ipsum sibi conciliari, *etc.*" Ib. III. 5. "Dicis, omne animal, *simul atque* sit ortum, applicatum esse ad se diligendum." *Ib.* IV. 13. "Si, ut initio dixi, *simul atque* ortus esset, se quisque cognosceret, *etc.*" Ib. V. 15. "*Simul atque* ire in exsilium jussus est, paruit, ivit." *Id. in Catil.* II. 6. "Quod is *simul atque* sensit, de amicorum cognatorumque sententiâ Romam confugit." *Id. pro Rosc. Am.* 10. "Ego Q. Scævolam augurem memoriâ teneo, bello Marsico,... quotidie, *simul atque* luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem." *Id. Phil.* VIII. 10. "Gratissimum mihi feceris, si ad me, *simul atque* adeptus eris, quod et tu confidis, et ego opto, literas miseris." *Id. ad Fam.* III. 9. "Alii si scripserint, mittemus ad te: sed, mihi crede, *simul atque* hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur." *Id. ad Att.* I. 20. Adde *pro Rosc. Am.* 8: et *in Verr.* II. 7; 26; 37; III. 54; V. 38: et *pro Cluent.* 14; 26: et *in Sen.* 14: et *pro Planc.* 41: et *ad Fam.* XIV. 7; XVI. 11: et *ad Q. Fr.* II. 6: et *ad Brut.* 10: et *de Div.* II. 67. *Cæs. de B. G.* IV. 26; V. 3; VII. 12. [Vide infrà c. II. n. 126.]

Formulæ speciales:—

Simul ac vel *atque*—, *continuò*—.

95. 1. "Adolescentulus verò sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quòd *continuò* consilium dimiserit, *simul ac* me fractum ac debilitatum metu viderit." *Cic. de Orat.* I. 26. "Quid possum de Torquato, nisi aliquid à Dolabellâ? quod *simul ac, continuò* scietis." *Id. ad Att.* XIII. 21.—"Nunc autem, *simul atque* editi in lucem, et suscepti sumus, in omni *continuò* pravitate, et in summâ opinionum perversitate, versamur." *Cic. Tusc.* III. 1. "Qui *simul atque* in oppidum quodpiam venerat, immittebantur illi *continuò* Cibyratici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia." *Id. in Verr.* IV. 21.

Simul ac vel *atque—, statim—.*

96. 2. "Verres, *simul ac* tetigit provinciam, *statim* Messanam literas dedit." *Cic. in Verr.* I. 10. "*Statim* autem se iturum, *simul ac* ludorum apparatum iis, qui curaturi essent, tradidisset." *Id. ad Att.* XV. 12. "Nam, *simul ac* me Dyrrhachium attigisse audivit, *statim* ad me ... profectus est." *Id. pro Planc.* 41.—"Qui, *simul atque* ei sorte provincia Sicilia obvenit, *statim* ... quærere ipse secum, et agitare cum suis, cœpit, quibusnam—" *Cic. in Verr.* II. 6. "Quæ pecunia *simul atque* ad eum delata est, homo impurissimus *statim* cœpit—" *Id. pro Cluent.* 25. "Usque eò animadverti, judices, eum jocari atque alias res agere, antè quàm Chrysogonum nominavi; quem *simul atque* attigi, *statim* homo se erexit." *Id. pro Rosc. Am.* 22. "Hostes prœlio superati, *simul atque* se ex fugâ receperunt, *statim* ad Cæsarem legatos de pace miserunt." *Cæs. de B. G.* IV. 27.

Simul atque—, illicò—.

97. 3. "*Simul atque* increpuit suspicio tumultûs, artes *illicò* nostræ conticescunt." *Cic. pro Mur.* 10.

Simul ac—, jam—.

98. 4. "Caput est in jecore, cor in extis: *jam* abscedet, *simul ac* molam et vinum insperseris." *Cic. de Div.* II. 16.

Simul ac primùm.

99. 5. "Crocodili, fluviatilesque testudines, quædamque serpentes ortæ extra aquam, *simul ac primùm* niti possunt, aquam persequuntur." *Cic. de N. D.* II. 48. "Tempora defuerunt: quæ *simul ac primùm* aliquid lucis ostendere visa sunt, princeps vestræ libertatis defendendæ fui." *Id. Phil.* IV. 1. "*Simul ac primùm* ei occasio visa est, ... aversâ pecuniâ publicâ, quæstor consulem, exercitum, sortem, provinciamque, deseruit." *Id. in Verr.* I. 13. "*Simul ac* potestas *primùm* data est, adeunt hi, quos dixi." *Ib.* 52.

Unà—, ac—.

100. "Terrere *unà, ac* pavere." *Liv.* VI. 33. [Vide infrà c. II. n. 130.]

Alius—, ac vel *atque—.*

101. "Potest enim non solùm *aliud* mihi, *ac* tibi, sed

mihi ipsi aliud aliàs videri." *Cic. Orat.* 71. "Urbana etiam dissimulatio est, cùm *alia* dicuntur, *ac* sentias." *Id. de Orat.* II. 67. "*Alia* dicentis, *ac* significantis, dissimulatio." *Ib.* III. 53. "Si qui dicatur *alium* occidisse, *ac* voluerit." *Id. de Inv.* II. 7. "Si *aliâ* ratione, et *aliam* ob causam, *ac* dicet se reus fecisse, demonstrabitur esse factum." *Ib.* 24. "Quod quidem agerem, si liceret, *alio* modo, *ac* nunc agendum est." *Id. ad Att.* VII. 3. "De Africanis rebus longè *alia* nobis, *ac* tu scripseras, nuntiantur." *Ib.* XI. 10. "Longè *aliâ* conditione ego sum, *ac* ceteri imperatores." *Vatin. ap. eumd. ad Fam.* V. 10. "Jugurtham ab senatu petere, ne *alium* putarent, *ac* Numantiæ cognitus esset." *Sall. Jug.* 15. "Vidit, . . . hostes non crediturosos, . . . nec dubitaturos, *aliud* esse facturum, *ac* pronuntiâsset." *Nep. Ages.* 3. Adde *Cic. in Verr.* II. 52: et *pro Cluent.* 34: et *pro Domo* 2; 20: et *de H. R.* 7: et *pro Planc.* 19. *Cæs. de B. G.* III. 28.— "Tantum dico, et *aliud* illud esse, *atque* hoc, et hoc sine illo summum esse posse." *Cic. de Orat.* I. 54. "Ingeniosi enim videtur, vim verbi in *aliud*, *atque* ceteri accipiant, posse ducere." *Ib.* II. 62. "Acutum etiam illud est, cùm ex alterius oratione *aliud* excipias, *atque* ille vult." *Ib.* 67. "Necesse erit . . . ostendere, *alio* nomine illam rem, de quâ agitur, appellari oportere, *atque* adversarii dicant." *Id. de Inv.* I. 8. "Sæpe etiam sine ullâ apertâ causâ fit *aliud*, *atque* existimamus." *Id. pro Mur.* 17. "Si essent omnia mihi solutissima, tamen in republicâ non *alius* essem, *atque* nunc sum." *Id. ad Fam.* I. 9. "Nostrâ factum esse negligentiâ, ut longè *aliâ* in fortunâ esset, *atque* ejus pietas ac dignitas postulabat." *Ib.* XIV. 11. "Quicumque *aliarum*, *atque* senati, partium erant." *Sall. Catil.* 37. "*Alium* esse censes nunc me, *atque* olim, quum dabam?" *Terent. Andr.* III. 3. 13. Adde *Cic. pro Cæc.* 1: et *pro Cluent.* 49: et *pro Flacc.* 32: et *pro Sext.* 53: et *Acad.* IV. 5: et *de Leg.* II. 7. *Cæs. de B. G.* III. 9; VII. 14; 33; 59. [Vide infrà c. II. n. 131.]

Alius—, atque alius— rarissimum est.

102. "Timeo, ne *aliud* credam, *atque aliud* nunties." *Terent. Hec.* V. 4. 4. [Vide infrà c. II. n. 132.]

Alíusmodi—, ac vel *atque—*.

103. "Nam opinio dupliciter fallit homines; cùm aut res *alíusmodi* est, *ac* putatur, aut non is eventus est, quem

arbitrati sunt." *Cic. de Inv.* II. 6.—"Uno enim excepto, quem *alíusmodi*, *atque* omnes, natura finxit, suos quisque habet caros." *Cæsar* in Anti-Catone priore, apud Priscian. l. VI. p. 694. *Putsch.*

Aliter—, *ac* vel *atque*—.

104. "Neque nos contra sensus *aliter* dicimus, *ac* Stoici; qui multa falsa esse dicunt, longéque *aliter* se habere, *ac* sensibus videantur." *Cic. Acad.* IV. 31. "*Aliter* de illis, *ac* de nobis, judicamus." *Id. de Off.* I. 9. "Necessariè demonstrantur ea, quæ *aliter*, *ac* dicuntur, nec fieri nec probari possunt." *Id. de Inv.* I. 29. "Quâre nobis et ii videntur errare, qui . . ., et ii, qui *aliter* hoc de genere, *ac* de omni conjecturâ, præcipiendum putant." *Ib.* II. 14. "Quò majorem spem habeo, nihil fore *aliter*, *ac* deceat." *Id. ad Att.* VI. 3. "Id tu, si ille *aliter* acceperit, *ac* debuit, lenies." *Ib.* X. 11. "Omnia plena pacis, *aliter ac* mihi Calvena dixerat." *Ib.* XIV. 9. "Ne sim salvus, si *aliter* scribo, *ac* sentio." *Ib.* XVI. 13. "Cùm *aliter* sentias, *ac* loquare." *Id. de Orat.* II. 67. "Neque de causâ quidquam nostrâ *aliter*, *ac* nos vellemus, à senatu judicatum est." *Id. pro Mil.* 9. "Si *aliter* pronuntiatum est, *ac* Mucio placuit." *Id. pro Cæc.* 24. "Cùm rem *aliter* institutam offendissem, *ac* mihi placuisset, si affuissem." *Id. ad Fam.* V. 17. "Cùm *aliter* res cecidisset, *ac* putâsses." *Ib.* 19. "Si providendum fuit, ne quid *aliter*, *ac* tibi et honestum et utile esset, referretur." *Ib.* 20. "Pòst omnium sermone celebratum, quemadmodum iste . . . omnia *aliter*, *ac* vos in monumentis habetis, et pronuntiârit, et fecerit." *Id. pro Dom.* 55. "Sed ea res longè *aliter*, *ac* ratus erat, evenit." *Sall. Jug.* 7. "Hic me hujusmodi esse sciebat: ego hunc esse aliter credidi. Iste me fefellit: ego isti nihilo sum *aliter*, *ac* fui." *Terent. Phorm.* III. 2. 44. Adde *Cic. Partit.* 11: et *pro Flacc.* 32: et *pro Sull.* 14: et *ad Att.* XIII. 51: et *de Fato* 3. *Cæs. de B. G.* II. 19; V. 24.—"Quod cùm facitis, illud profectò confitemini, longè *aliter* rem se habere, *atque* hominum opinio sit." *Cic. de N. D.* III. 24. "Hic loquebatur *aliter*, *atque* omnes; sentiebat idem, quod ceteri." *Id. de Fin.* IV. 20. "Nihil est enim, de quo *aliter* tu sentias, *atque* ego." *Ib.* 22. "Sed *aliter*, *atque* ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiæ meæ." *Id. ad Fam.* II. 3. "Quòd *aliter* cecidisse rem existimas, *atque* opinatus sis; id tibi nullo modo assentior." *Ib.* IV. 4. "Quasi isti aut de

Cn. Pompeio *aliter, atque* ego existimo, sentiant; aut—" *Id. pro Domo* 12. "Hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longè *aliter, atque* à me dicta erant, detulerunt." *Ibid.* 16. "Videtur hujusmodi quoque utendum exemplo, non quò præceptio differat, aut *aliter* hoc in sermone, *atque* in dicendo, sit utendum; sed ut—" *Id. de Inv.* I. 33. "Eventus autem tum fallit, cùm *aliter* accidit, *atque* ii, qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur." *Ib.* II. 7. "Movent illa etiam, quæ conjecturâ explanantur longè *aliter, atque* sunt." *Id. de Orat.* II. 69. "Clinia, *aliter* tuum amorem, *atque* est, accipis." *Terent. Heaut.* II. 3. 23. "Longè *aliter* est amicus, *atque* amator." *Plaut. Trucul.* I. 2. 70. "Ad ea rex—*aliter, atque* animo gerebat—placidè respondit." *Sall. Jug.* 72. Adde *Cic. pro Rosc. Am.* 22: et *Acad.* I. 7. [Vide infrà c. II. n. 131.]

105. *Non aliter, ac si*—, non tantoperè imitandum videtur: equidem prætulerim *non secus, ac si* (112).—"Obvio quoque,—*non aliter, ac si* conscius et particeps foret,—adhærente." *Sueton. in Oth.* 6.

106. *Aliter*—, *atque ut*—.* "Qui suos casus *aliter* ferunt, *atque ut* † auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores, quàm ferè plerique, qui avari avaros, gloriæ cupidos gloriosi, reprehendunt." *Cic. Tusc.* III. 30. "Si mentionem fecerint, quò *aliter* ager possideatur, *atque ut* ex legibus Juliis." *Id. ad Att.* II. 18. "De Antonii itineribus nescio quid *aliter* audio, *atque ut* ‡ ad te scribebam." *Ib.* XVI. 13. "Itáque L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quòd iste *aliter, atque ut* edixerat, decrevisset." *Id. in Verr.* I. 46.

* Vereor, ut Grammaticis hæc formula satis probari possit. Nimirùm, *aliter*—, *atque*— in illam usitatam duplicationem, *aliter*—, *aliter*—, est resolvendum: e. g., "*Aliter, atque* ostenderam, facio." h. e., *Aliter* facio, *aliter* me facturum esse ostenderam. Quæ quidem resolvendi ratio hîc adhiberi omnino non potest.

† *Ut* delevit Ernesti, Davisium secutus: neque injuriâ.

‡ Unde Nizolius et Tursellinus protulerint *ut*, nescio; nam in editionibus Verburgii et Ernesti, quibus hoc tempore utor, non modò *ut* non legitur, sed ne mentio quidem ejus facta est; etsi horum uterque, prior quidem certè, de talibus rebus lectorem suum admonere consuevit: delendum censeo.

Aliò—, atque—. Aliorsùm—, atque—.

107. "Hoc longè *aliò* spectabat, *atque* videri volebant." *Nep. in Themist.* 6.—"Vereor, ne illud graviùs Phædria tulerit, neve *aliorsùm, atque* ego feci, acceperit, quòd—" *Terent. Eun.* I. 2.

Contrà—, ac vel *atque—.*

108. "Itáque *contrà* est, *ac* dicitis." *Cic. de Fin.* IV. 15. "Vides tamen omnia ferè *contrà, ac* dicta sint, evenisse." *Id. de Div.* II. 24. "Si hæc *contrà, ac* dico, essent omnia, tamen—" *Id. in Verr.* IV. 6. "Ut *contrà, ac* dicat, accipi et sentiri velit." *Id. Orat.* 40. "Cùm *contrà, ac* Deiotarus sensit, victoria belli judicârit." *Id. Phil.* XI. 13. "Petreius, ubi videt Catilinam—*contrà, ac* ratus erat—magnâ vi tendere, cohortem prætoriam in medios hostis inducit." *Sallust. de C. C.* 60.—"Si denique aliquid, quod non contrà, ac liceret, factum diceretur, sed *contrà, atque* oporteret; tamen—" *Cic. pro Balb.* 3. "Jam enim faciam, criminibus omnibus ferè dissolutis, *contrà, atque* in ceteris causis fieri solet, ut nunc denique de vitâ hominis ac de moribus dicam." *Id. pro Sull.* 24. "Iidemque jusserunt, simulacrum Jovis facere majus, et in excelso collocare, et *contra, atque* antè fuerat, ad orientem convertere." *Id. in Catil.* III. 8. Adde *Cæs. de B. G.* IV. 13.

Contrarius—, ac vel *atque—.*

109. "*Contrarium* sine ullâ religione decernebat, *ac* proximis paulò antè decreverat." *Cic. in Verr.* I. 46.—"Cui subjecti sunt septem (globi), qui versantur retrò, *contrario* motu, *atque* cœlum." *Cic. Somn. Scip.* 4.

Diversus— ac—.

110. "*Diversa* in hàc, *ac* suprà dictâ, alite, quædam." *Plin.* X. 12 (15).

Secùs—, ac—. Secùs—, atque—.

111. *Secùs—, ac—*, nisi in negationibus, vix reperias; *secùs—, atque—* autem in affirmationibus æquè, atque in negationibus, adhibetur :—

I. "Itáque illud, quod ego in causâ Curianâ Scævolæ dixi, non dixi *secùs, ac* sentiebam." *Cic. de Orat.* II. 6.

"Cujus ego salutem non *secùs, ac* meam, tueri debeo." *Id. pro Planc.* 1. "Quibus illi quidem non multò *secùs, ac* servis, imperabant." *Id. ad Q. Fr.* I. 1. 4. "Quapropter equidem et C. Marii, et ceterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes ... testor, me pro illorum famâ, gloriâ, memoriâ, non *secùs, ac* pro patriis fanis atque delubris, propugnandum putare." *Id. pro Rab. Post.* 10. "Quò fiebat, ut uni huic maximè indulgeret, neque eum *secùs* diligeret, *ac* filium." *Nep. in Dion.* 2. "Haud *secùs, ac* jussi, faciunt." *Virg. Æn.* III. 236. "In medias res, Non *secùs, ac* notas, auditorem rapit." *Hor. de A. P.* 148. "Nam numquam *secùs* habui illam, *ac* si ex me esset nata." *Terent. Hec.* II. 3. 5.

II. "Quoniam cœpi *secùs* agere, *atque* initio dixeram." *Cic. de N. D.* II. 9. "Dicendum omnino est, quid sit optimum in singulis, sed aliquantò *secùs, atque* in tradendâ arte dici solet." *Id. Orat.* 14. "Eadem enim sunt membra in utriusque disputationibus, sed paulò *secùs* à me, *atque* ab illo, partita ac distributa." *Id. de Orat.* III. 30. "Nec ... sequitur illicò, esse causas immutabiles, ... quæ prohibeant quidquam *secùs* cadere, *atque* casurum sit." *Id. de Fat.* 12. "Ceterùm solet in illis locis tempestas haud *secùs, atque* in mari, retinere." *Sall. Jug.* 79. "Neque *secùs, atque* iter facere, castra munire." *Ib.* 100. "Neque his *secùs, atque* aliis armis, advorsùm tela hostium, quòd ea levia sunt, muniti." *Ib.* 105.

Apud poëtas *non secùs* et *haud secùs*, sequente *ac* vel *atque*, Similitudini inserviunt. *Virg. Ge.* III. 346: *Id. Æn.* VIII. 391; X. 272; XI. 456; XII. 856.

112. *Non secùs, ac si*—. "Velim, domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, *non secùs, ac si* ipse adesses." *Cic. ad Att.* IV. 14. "Qui quidem Quintum meum tuumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratiâ? *non secùs, ac si* ego essem imperator." *Ib.* 18. "Quam facultatem si quis casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, *non secùs, ac si* te vidissem." *Id. ad Fam.* III. 5. "Quos tibi, negotiaque omnia Nasonis, *non secùs* commendo, *ac si* mea essent." *Ib.* XIII. 33. "Quâre, quod dandum est amicitiæ, largè dabitur à me, ut tecum agam, Servi, *non secùs, ac si* meus esset frater, qui mihi est carissimus, isto in loco." *Id. pro Mur.* 4. "Hîc

Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule, primùm persuadeas velim, me *non multò secus* facere, cùm de oratore disputem, *ac* facerem, *si* esset mihi de histrione dicendum." *Id. de Orat.* III. 22.

Ac et *atque* post comparativa.

113. *Ac* vel *atque* pro *quàm* post comparativa est ferè poëticum; nec temerè in prosâ oratione est adhibendum:—*

Ac.—Hor. Ser. I. 5. 5; 6. 130; 10. 34; 59; II. 3. 241; 270; 7. 19. Virg. Æn. III. 561.

Atque.—Hor. Epod. 15. 5. Id. Ser. I. 2. 22; II. 7. 96. Terent. Andr. IV. 2. 15.

Par atque idem, par atque unus.

114. "Summa in utroque est honestas, summa dignitas: quam ego, si mihi per Servium liceat, *pari atque eâdem* in laude ponam." *Cic. pro Mur.* 9. Equestris autem prœlii ratio et cedentibus et insequentibus *par atque idem* periculum inferebat." *Cæs. de B. G.* V. 16.—"*Par atque una* ratio est spei, lætitiæ, molestiæ." *Cic. de Orat.* II. 52. "Intelliges, et de hoc, et de ceteris, judicium meum et horum *par atque unum* fuisse." *Id. pro Sull.* 2.

Unus atque idem.

115. "Repetitio est, cùm continenter ab *uno atque eodem* verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur." *Auct. ad Herenn.* IV. 13. "*Una atque eadem* nox erat, quâ prætor amoris turpissimi flammâ, ac classis populi Romani prædonum incendio, conflagrabat." *Cic. in Verr.* V. 35. "Causa enim est post urbem conditam hæc inventa sola, in quâ omnes sentirent *unum atque idem.*" Id. in Catil. IV. 7. "Quorum alterum intelligentiâ et ratione comprehenditur; quod *unum* semper *atque idem* est: alterum—" *Id. de Univ.* 2. "Itáque *unâ* conversione *atque eâdem* ipse circum se torquetur, et vertitur." *Ib.* 6. Adde *pro Flacc.* 25: et *Auct.*

* Apud Ciceronem quidem, l. v. *ad Att.* ep. 11., legas: "Ita mihi videtur non *minus* stomachi nostro, *ac* Cæsari, fecisse." ubi tamen editiones nonnullæ habent *quàm.* Sed omnino falluntur, qui ex l. XIII. ep. 2. *ejusd. ad eumd.* proferunt;—"Mihi quidem videtur etiam *diutius* afuturus, *ac* nollem." quem quidem locum nonnulli etiam depravare ausi sunt, pro "nollem," quod hâc ratione sensum præbet nullum, reponentes *vellem:* ceterùm de vi particulæ, vide suprà n. 5.

ad Herenn. IV. 39. [Vide infrà c. II. n. 133. et c. III. n. 66.]

Unus atque alter.

116. I. Pro *duo.*—" Habetur *una atque altera* concio vehemens et gravis." *Cic. pro Cluent.* 28. [Vide infrà c. II. n. 134. et c. III. n. 67.]

117. II. Pro *perpauci.*—" Sed tamen *una atque altera æstas,* vel metu, vel spe, . . . potest totam Galliam sempiternis vinculis adstringere." *Cic. de Provinc.* 14. [Vide infrà c. II. n. 135.]

Alius atque alius.

118. " Etsi sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res sæpe aut probatur, aut rejicitur, *alio atque alio* elata verbo." *Cic. Orat.* 22. " *Alio atque alio* loco, sæpe contra decus regium, noctu requiescere." *Sall. Jug.* 72. " A quibus iisdem principiis, antepositis præverbiis paucis, immanis verborum accedit numerus, quòd, præverbiis additis atque commutatis, *aliud atque aliud* fit." *Varr. de L. L.* v. 5. " Crescebat interim urbs, munitionibus *alia atque alia* appetendo loca." *Liv.* I. 8. " Navibus undique accitis, . . . ut prædatum milites trans flumen per occasiones *aliis atque aliis* locis trajiceret." *Id.* II. 11. " Dilatis *aliâ atque aliâ* de causâ comitiis." *Id.* VIII. 23. " Marcellum *aliæ atque aliæ* objectæ animo religiones tenebant." *Id.* XXVII. 25. " Inchoata res jam antè de Masinissâ *aliis atque aliis* de causis dilata erat." *Id.* XXVIII. 35. " Verminam, propè vestigiis instantem, in *alia atque alia* flectendo itinera eludens." *Id.* XXIX. 33. " Et inter crebra colloquia *alii atque alii* de industriâ, quò pluribus omnia nota essent, mittebantur." *Id.* XXX. 4. " *Aliis atque aliis* in Italiæ partibus." *Id. ib.* 28. " Quotannis *alium atque alium* dominum sortiuntur." *Id.* XXXI. 29. " Quum *alii atque alii* nuntii bellum instare afferrent, ad rem pertinere visum est, consules primo quoque tempore creari." *Id.* XXXV. 24. " Eadem litera *alium atque alium* intellectum, prout correpta vel producta est, facit." *Quinctil. Inst. Orat.* I. 7. " Multùm autem nocent etiam qui morantur, utique in tantâ brevitate vitæ : quam breviorem inconstantiâ facimus, *aliud* ejus subinde *atque aliud* facientes initium." *Senec. Epist.* 32.

Adde *Liv.* v. 42: xxii. 15; 28: xxv. 23. *Plin.* ii. 13 (10). *Lucret.* ii. 775; v. 304.

Aliter atque aliter.

119. "Quibus in rebus quid possit aliud causæ afferre mortalium quispiam, quàm diffusæ per omne naturæ subinde *aliter atque aliter* numen erumpens?" *Plin.* ii. 93 (95). "In mari . . . pleraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis et in semet *aliter atque aliter*, nunc flatu, nunc fluctu, convolutis seminibus atque principiis." *Id.* ix. 1. "Hoc sæpe dicit Epicurus, *aliter atque aliter:* sed numquam nimis dicitur, quod numquam satis discitur." *Senec. Ep.* 27. "Philosophiam quoque fuerunt, qui *aliter atque aliter* definirent." *Ib.* 89. Adde *de Constant.* 18.

Alibi atque alibi, aliubi atque aliubi.

120. "Iidem succi variè *alibi atque alibi** ad quælibet prævaluêre aut degeneravêre." *Plin.* xiii. 1. "Hæc *alibi atque alibi* utilior nobilitavit loca gloria ferri." *Id.* xxxiv. 14 (41).—"Eadem aquatilium genera *aliubi atque aliubi* meliora." *Plin.* ix. 54 (79). "Homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum, *aliubi atque aliubi* diversa pœna est: sed ubique aliqua." *Senec. de Benef.* iii. 6. "Mutatio voluntatis indicat animum natare, *aliubi atque aliubi* apparere, prout tulit ventus." *Id. Epist.* 35.

Hic atque hic, hic atque ille; etc.

121. "*Hunc atque hunc* superare laboret." *Hor. Serm.* i. 1. 112. "An hoc inhonestum et inutile factu Necne sit, addubites, flagret rumore malo cùm *Hic atque ille?*" Id. ib. 4. 124.—Pari ex analogiâ licet indefinitè adhibere et illa:—*Hic atque hic, hic atque illic; hinc atque hinc, hinc atque illinc; huc atque huc, huc atque illuc.*—*Hinc atque illinc* autem etiam definitè adhiberi solet, pro *utrimque.* Sic *Liv.* xxxii. 10.: "Multis *hinc atque illinc* vulneribus acceptis, . . . nox pugnæ finem fecit." [Vide infrà c. ii. n. 137.]

Etiam atque etiam.

122. "A te autem idem illud *etiam atque etiam* quæram, quibus rationibus tibi persuadeas, deos esse." *Cic. de N. D.*

* In plerisque ed. deest *atque alibi.*

III. 7. "Diligenter *etiam atque etiam* argumenta cum argumentis comparemus." *Id. de Div.* I. 4. "Tu ipse quemadmodum existimes, vide *etiam atque etiam.*" Id. in Cæcil. 12. "Vide modò: *etiam atque etiam* considera." *Ib.* 14. "De geographiâ *etiam atque etiam* deliberabimus." *Id. ad Att.* II. 7. "Te *etiam atque etiam* oro, ut—" *Ib.* XI. 1. "Id te vehementer *etiam atque etiam* rogo." *Ib.* 12. "Atquî iste locus est, Piso, tibi *etiam atque etiam* confirmandus, inquam." *Id. de Fin.* V. 32. "His autem literis animum tuum ... confirmandum *etiam atque etiam* puto." *Id. ad Fam.* VI. 6. "Idque ut facias, *etiam atque etiam* te hortor." *Ib.* 10. "Hæc quamquàm nihilò meliora sunt, nunc *etiam atque etiam* multò desperatiora, tamen—" *Ib.* 22. "Cura te *etiam atque etiam* diligenter." *Ib.* XVI. 15. "*Etiam atque etiam* vale." *Ib.* sæpiùs. Adde *Acad.* IV. 19: et *de Fin.* II. 12; V. 14: et *Tusc.* III. 28: et *ad Fam.* III. 1; 2; IV. 9; V. 12; VII. 21; XIII. 28 (ter): et *ad Att.* I. 18; V. 19; 20: et *in Verr.* V. 72: et *pro L. Manil.* 19: et alibi. *Liv.* XXII. 13; 42; XXIX. 24; XXXVIII. 9. *Horat. Epist.* I. 18. 76.

Semel atque iterùm.

123. "Cognoscite nunc ita reum citatum esse illum, ut, re *semel atque iterùm* præjudicatâ, condemnatus in judicium venerit." *Cic. pro Clu.* 17. "Cum his Æduos eorumque clientes *semel atque iterùm* armis contendisse, magnam calamitatem pulsos accepisse." *Cæs. de B. G.* I. 31. Adde *Liv.* XXVII. 16: et *Juvenal.* III. 134. [Vide infrà c. III. n. 69.]

Iterùm atque iterùm.

124. "Nec redeant *iterùm atque iterùm* spectanda theatris." *Horat. Serm.* I. 10. 39. "*Iterùm atque iterùm* fragor intonat ingens." *Virg. Æn.* VIII. 527. [Vide infrà c. III. n. 69.]

Magis ac magis.

125. "Quotidiè, vel potiùs in dies singulos, breviores literas ad te mitto; quotidiè enim *magis ac magis** suspicor, te in Épirum jam profectum." *Cic. ad Att.* V. 7. Adde

* "*Ac magis*" plerique delent; rectè: contra concinnitatem enim erat id inductum:—*quotidiè breviores—, quotidiè magis—.*

Tacit. Ann. VI. 21. Ceterùm multò usitatius est *magis magisque*, c. III. n. 70. infrà.

Minùs ac minùs.

126. "Cùm advesperascit, in alveo strepunt *minùs ac minùs*." Plin. XI. 10. "*Minúsque ac minùs* (cum timore simul fide decrescente) conveniebat." *Liv.* XXVI. 17. [Vide infrà c. III. n. 72.]

Ἓν διὰ δυοῖν.

127. *Ac* vel *atque* nonnumquam adhibetur per figuram Ἓν διὰ δυοῖν: ubi scilicet pro adjectivo nomen cognatum, adjunctâ copulâ, profertur.—*Cic. de Orat.* I. 6. "Neque verò ego hoc tantum oneris imponam, nostris præsertim, oratoribus, in hâc tantâ occupatione *urbis ac vitæ*, nihil ut iis putem licere nescire:" i. e., *urbanæ vitæ*, ut idem c. 26. *in Pison.:* "In hâc quotidianâ, assiduâ, *urbanâque* vitâ." *Justin.* II. 2: "*Lanæ* iis usus *ac vestium* ignotus."—*Sallust. Catil.* 3: "Inter tanta vitia, inbecilla ætas ambitione conrupta tenebatur: ac me, quum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilò minùs honoris cupido, eâdem, quâ ceteros, *famâ atque invidiâ* vexabat:" i. e., *famâ invidiosâ:* sed ipsum audi Gronovium, hunc locum dilucidè explicantem:—"Quum alios, inquit, urbis et publica tractantium morbos et pravitates facilè vitarem, tamen, quòd honores petebam, perinde ac mali, (nemo enim ferè tunc, neque petebat, neque gerebat, nisi malus et factiosus) infestis rumoribus differebar, et maligna judicia experiebar. Quum vitium nullum esset in me, ob quod malè audirem, malè audiebam, proque malo differebar, quòd rempublicam gerere cupiebam, inter malos. *Fama atque invidia*, ἓν διὰ δυοῖν, pro *invidiosa et maligna fama.* Sic Trogus VIII. 3: 'Ad abolendam *invidiæ famam*, etc.' Sive malis, *invidiam famæ:* eadem enim res est. Idemque XII. 6: 'Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes, *fabularum atque invidiæ* . . . fecerit.' Prorsus ut Sallustius; quantum malignorum sermonum et rumorum. Famâ et invidiâ vexatur, qui est in invidiâ, seu odio publico, et discerpitur sermonibus hominum." [Vide infrà c. II. n. 139. et c. III. n. 73.]

CAP. II.

DE CONJUNCTIONE COPULATIVA *ET.*

1. *Et* ex Græco ἔτι videtur factum per apocopen: estque ad cujusvis generis rerum connexus significandos accommodatum. Et hoc quidem ei cum *que* commune est; nam *ac* vel *atque*, nisi in rebus inter se naturâ quodammodò conjunctis, adhibere, non nimis Latinum est: illud proprium τοῦ *et*, quòd in continuationibus polycolis, æquè atque in iis, quæ ex binis trinisve membris constant, adhibetur: quod quidem de solutâ oratione intelligendum volumus; cùm apud poëtas *que* in pluribus clausulis inter se conjungendis elegantissimè versetur.

Et augentis.

2. "Alteri, plurimum se, *et* longè longéque plurimum, tribuere honestati; sed tamen et in corpore, et extra, esse quædam bona." *Cic. de Fin.* II. 21. "Vivis; *et* vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam, audaciam." *Id. in Catil.* I. 2. "Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur, *et* de eo hoste, qui jam fatetur se esse hostem?" *Ib.* II. 8. "Erepti enim ex crudelissimo ac miserrimo interitu; *et* erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, *etc.*" Ib. III. 10. "Quam quidam hinc nati, *et* summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium, esse judicaverunt." *Ib.* IV. 8. "Vos ex M. Favonio audîstis, Clodium sibi dixisse,—*et* audîstis, vivo Clodio,—periturum Milonem triduò." *Id. pro Mil.* 16. "Prohibiti estis in provinciâ vestrâ pedem ponere; *et* prohibiti, ut perhibetis, summâ cum injuriâ." *Id. pro Lig.* 8. "Hostis, *et* hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit." *Id. in Verr.* II. 21. "Errabas, Verres, *et* vehementer errabas, cùm—" *Ib.* 5. 46. "Victa igitur est causa reipublicæ: *et* victa, non auspiciis, non intercessione, non suffragiis; sed vi, manu, ferro." *Id.*

pro Sext. 36. Adde *pro Sull.* 6: et *pro Domo* 36: et *pro Sext.* 24 (ter); 40: et *ad Att.* I. 13; II. 22; VII. 1. Notabilis autem est illa geminatio:—"Fugitivi autem, dominum accusantis,—*et* dominum absentem—*et* dominum amicissimum nostræ reipublicæ—cùm os videbam, cùm verba audiebam; non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quàm de fortunis communibus extimescebam." *Id. pro Deiot.* 1. [Vide suprà c. I. n. 3. et infrà c. III. n. 19.]

Et in correctione.

3. *Et* in correctione rarissimum est: jungitur autem cum interrogatione id verbum tollente, quod scilicet vel levius, vel minùs idoneum, esse videatur. Ceterùm de ratione rei vide suprà cap. I. sect. 56.—"Nuper homines nobiles ejusmodi, judices,—*et*, quid dico nuper? immò verò modò, ac planè paulò antè, vidimus; qui—." *Cic. in Verr.* IV. 3. "Autronium tum in campo vidimus: *et*, quid dixi, vidisse nos? ego vidi: vos enim tum, judices, nihil laborabatis, neque suspicabamini." *Id. pro Sull.* 18.

Et affirmantis.

4. "Quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimùm valuisse, *et* valere oportere, confiteor." *Cic. Manil.* 17. "Mihi verò licet, *et* semper licebit, dignitatem tueri, mortem contemnere." *Id. Phil.* I. 6. "Sint ista Græcorum: quamquàm ab his philosophiam, *et* omnes ingenuas disciplinas, habemus." *Id. de Fin.* II. 21. "Doctrinâ Græcia nos, *et* omni literarum genere, superabat." *Id. Tusc.* I. 1. "Quod viro forti adimi non potest, id manet, *et* permanebit." *Id. ad Quir. p. r.* 8.

Et concedentis.

5. "Jurejurando se solutum putabat: *et* erat verbis, re non erat." *Cic. de Off.* I. 13. "*Et* Hercule (fatendum est enim, quod sentio) mirabilis est apud illos contextus rerum." *Id. de Fin.* V. 28. "Negant enim latum de imperio: *et* est latum Hercule insulsè." *Id. ad Att.* IV. 16. "Ut iste, qui se vult dicacem, *et* mehercule est, Appius." *Id. de Orat.* II. 60. Adde *Liv.* VI. 11: et *Tacit. Agric.* 10.

Et explanantis.

6. "Magna vis est conscientiæ, judices, *et* magna in

utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccârint." *Cic. pro Mil.* 23. "Multa me sollicitant, et ex reipublicæ tanto motu, et ex iis periculis, quæ mihi ipsi intenduntur; *et* sexcenta sunt." *Id. ad Att.* II. 19. "Illud autem, quod fore video, ipsum volo vitare, ne illæ ad me veniant: *et* una est vitatio, ut ego nolim." *Ib.* XII. 32. "Tamen minui tempus, *et*, quod erat infinitum, annuum feci." *Id. de Leg.* III. 8. "Cavendum verò est, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ, è quibus jurgia, maledicta, contumeliæ, gignantur: quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt; *et* hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpâ sit, qui faciat, non is, qui patiatur, injuriam." *Id. de Amic.* 21. "Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus: . . . has primùm audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur: *et* naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus." *Quinctil. Inst. Orat.* I. 1. "Vento intermisso, cursum non tenuit; *et* longiùs delatus æstu, ortâ luce, sub sinistrâ Britanniam relictam conspexit." *Cæs. de B. G.* V. 8. [Vide suprà c. I. n. 5. et infrà c. III. n. 20.]

Et discretivum.

7. "In judiciis accusatori ferè, quæ ad iracundiam; reo plerúmque, quæ ad misericordiam, pertinent. Nonnumquam tamen accusator misericordiam movere debet, *et* * defensor iracundiam." *Cic. Partit.* 17. "Quod cùm latum genus esse possit, sanéque varium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscipimus, *et* ad improbos vituperandos." *Ib.* 20. "Omnia enim sunt profectò laudanda, quæ conjuncta cum virtute sunt; *et*, quæ cum vitiis, vituperanda." *Ib.* 21. "Exercitus, . . . prædator ex sociis, *et* ipse præda hostium." *Sallust. de B. J.* 44. "Hominem veteris prosapiæ ac multarum imaginum, *et* nullius stipendii." *Ibid.* 85. [Vide infrà c. III. n. 21.]

Et consequentiam notans.

8. 1. *Et* aliquando consequentiam significat; antecedente scilicet conditione imperativè enuntiatâ.—"Hanc tolle (societatem); *et* unitatem generis humani, quâ vita sustinetur,

* Hîc *et* satis commodè omitti poterat: et fortasse non malè conjiciet, qui ita conjiciet, copulam ex syllabâ finali τοῦ "debet" esse natam.

scindes." *Senec. de Benef.* IV. 18. Huc refer illud *Virgilii, Ecl.* III. 104:

" *Dic*, quibus in terris, *et* eris mihi magnus Apollo,
" Tres pateat cœli spatium non ampliùs ulnas."

9. II. Ceterùm Ciceronianum est etiam membrum τὸ ἀποδοτικὸν imperativè enuntiare: quod elegantissimum.—" Audi, ... moriens quid dicat Epicurus; et *intellige*,* facta ejus cum dictis discrepare." *De Fin.* II. 30. " Allobrogibus nominatum Sullam esse dicis. Quis negat? sed lege indicium, et *vide*, quemadmodùm nominatus sit." *Pro Sull.* 13. Sic Poëta ille,

" Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
" Nascantur flores, et Phyllida solus *habeto*."

10. III. Hâc ratione *et* nonnumquam ironiæ inservit.—*Cic. ad Fam.* III. 7: " Legati Appiani mihi volumen à te, plenum querelæ iniquissimæ, reddiderunt, ... Ad omnia accipe; *et* cognosce æquitatem expostulationis tuæ."

11. IV. Rhetoricè autem omitti solet *et;* sequente scilicet futuro indicativi.—Sic Manlius apud *Liv.* VI. 18: " Ostendite modò bellum; pacem *habebitis:* videant vos paratos ad vim; jus ipsi *remittent*." Idemque *ibid.*, multis interjectis: " Experimini modò et vestram felicitatem, et me (ut spero) feliciter expertum: minore negotio, qui imperet Patribus, *imponetis;* quàm, qui resisterent imperantibus, imposuistis."

Et in transitione.

12. *Et* in transitione rarum est, si quidem cum *ac* vel *atque* in eâdem re (I. 7.) conferatur: et apud Ciceronem ibi ferè reperitur, ubi insequens litera prohibebat, quò minùs poneretur *ac*.—" *Et*, quamquàm omnis virtus nos ad se allicit, facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur; tamen justitia et liberalitas id maximè efficit." *Cic. de Off.* I. 17. " *Et*, quoniam officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, aliaque sunt juvenum, alia seniorum; aliquid etiam de hâc distinctione dicendum est." *Ib.* 34. " *Et*, quoniam omnia persequimur, (volumus quidem certè)

* Hunc locum malè sollicitavit Davisius, qui correxerit (si dîs placet) *ut intelligas*.

dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse." *Ib.* 39. " *Et*, quoniam de utilitate jam diximus, de efficiendi ratione dicamus." *Id. Partit.* 27. " *Et*, quoniam de illâ fœneratione satis dictum est, nunc de hâc totâ pecuniâ aversâ, quæso, cognoscite." *Id. in Verr.* III. 72. " *Et* primùm—" *Id. ad Q. Fr.* II. 2. " *Et*, ne longum sit,—" *Id. pro Cluent.* 70.—Huc pertinet formula illa poëtica, *Et jam— :* Virg. Æn. I. 223; II. 254; IV. 584.

Et in commonitione.*

13. " *Et* constitutiones quidem, et earum partes, exposuimus: exempla autem cujusque generis tunc commodiùs *etc.*" Cic. de Inv. I. 12. " *Et* indignatio quidem his ferè de locis gravissimè sumetur. Conquestionis autem—" *Ib.* 54. 55. " *Et* summatim quidem hæc erant de corpore animoque dicenda." *Id. de Fin.* V. 13. " *Et* adhuc quidem ita nobis progressa ratio est, ut ea duceretur omnis à primâ commendatione naturæ: nunc autem aliud jam argumentandi sequamur genus, ut—" *Ib.* 17. " *Et* finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur :—" *Quinctil. Inst. Orat.* I. 9 (al. 15). " *Et* satis superque de Atlante." *Plin.* V. 1. [Vide suprà c. I. n. 8.]

Et in præteritione.

14. " *Et* omitto causam reipublicæ, quam ego amissam puto cùm vulneribus suis, tum medicamentis iis, quæ parantur : de Pompeio quid agam ?" *Cic. ad Att.* IX. 5. [Vide suprà c. I. n. 9.]

Et in parenthesi.

15. I. *Et* parentheticum sæpe vim habet augendi.—" Omnia ædificia (*et* frequenter ibi habitabatur) circumjecta muris incendit." *Liv.* IX. 28. " Præda (*et* aliquantum ejus fuit) militi concessa." *Id.* XXVII. 1. " Illis omnibus (*et* multi erant) ademti equi." *Ib.* 11.

16. II. Nonnumquam autem ita auget, ut simul vim aliquam adversativam sibi adsciscat, et propemodùm declarare videatur *atquí*.—" Hæc sine physicis quam vim habeant, (*et* habent maximam) videre nemo potest." *Cic. de Fin.*

* Repete, quæ suprà dicta sunt de *et* in transitione.

III. 21. "Adhuc neminem cognovi poëtam, (*et* mihi fuit cum Aquinio amicitia*) qui sibi non optimus videretur." *Id. Tusc.* V. 22. "In eloquentiâ autem multa sunt, quæ teneant, quæ si omnia summa non sunt, (*et* pleraque tamen magna sunt) necesse est, ea ipsa, quæ sunt, mirabilia videri." *Id. de Orat.* I. 61.

17. III. Habet etiam vim explanandi; apud Livium videlicet: ceterùm res non magnâ in laude ponenda videtur; nimirùm, apud hunc scriptorem *et* parentheticum sæpe aliquid vel loco alieniore, vel paulò inconcinniùs, interponit.— "Eo spatio (*et* sunt omnia campi circa Nolam) concurrerunt." XXIII. 44. "Ceterùm transportati milites in Siciliam (*et* erant major pars Latini nominis sociorumque) propè magni motûs causa fuêre." XXVII. 9. "Ipse dextrum cornu adversùs M. Livium sibi atque Hispanis (*et* ibi maximè in vetere milite spem habebat) sumsit." 48. "Hanc justam legionem (*et* id fermè roboris erat) in primâ acie locat." XXVIII. 2. "Hasdrubal, ut accensum cupiditate (*et* sunt ante omnes Numidæ barbaros effusi in Venerem) sensit, virginem ab Carthagine arcessit, maturatque nuptias." XXIX. 23. "Aggressi urbem, cum multis vulneribus repulsi, (*et* erat validum ibi regium præsidium) irrito incepto regressi—" XXXI. 45. "Nocte itinera fieri jubet, (*et* pernox fortè luna erat) interdiu cibi quietisque sumere tempus." XXXII. 11.

18. IV. Denique etiam latiùs patet.—"In hisce agris tu prædia habere voluisti: omnino mallem, (*et* magis erat tuum, si te crassi agri delectabant) hîc alicubi in Crustumnio, aut in Capenati, paravisses." *Cic. pro Flacc.* 29. "Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, (*et*, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent) Syracusis profectus est." *Id. ad Att.* X. 16. "Quod nisi, non dico effectum erit, sed fieri videro; audebo hoc dicere, (*et* tu, ut soles, accipies) incursabit in te dolor meus,—" *Ib.* XII. 41.† Adde *Acad.* IV. 10. [Vide suprà c. I. n. 11.]

* *Et mihi fuit cum Aquinio amicitia.*] Lepidè: qui scilicet, si quisquam, verecundum judicium de se facere debebat.

† Sed, ne quid dissimulem, locus mihi quidem videtur distinctione vitiosâ prorsùs laborare, atque ita potiùs esse constituendus:—"Quod nisi —videro; (audebo hoc dicere; et tu, ut soles, accipies) incursabit—:" sic "et tu" valet ferè *tu autem, tu verò, σὺ δὲ*. Vide suprà n. 7.

Et pro *etiam.*

19. *Et* pro *etiam* est satis Ciceronianum ; cùm aliter vir gravissimus L. Valla temerè pronuntiârit.*—"Et verò fuit in hoc *et* popularis dictio excellens: Antonii genus dicendi multò aptius judiciis, quàm concionibus." *Cic. Brut.* 44. "Deinde, id quod perspicio (quod *et* ostendam, cùm istos produxero) ipsorum ex literis,—" *Id. in Verr.* v. 19. "Erat *et* Nice, facie eximiâ, *etc.*" Ib. 31. "Quod fecisse Cn. Pompeium constet, id omnes *et* licuisse concedant." *Id. pro Balb.* 2. "Cum quo *et* Antiochum sæpe disputantem audiebam." *Id. Acad.* iv. 4. "Itáque *et* sensibus probanda multa sunt." *Ib.* 31. "Diligendum : ergo *et* probandum." *Id. de Fin.* iii. 8. "Quòd ... crediderint, ejus, qui honestè viveret, si idem *et* benè valeret, ... optabiliorem fore vitam, ... quàm illius, qui, æquè vir bonus,—" *Ib.* iv. 23. "Demus scutellam dulciculæ potionis ; aliquid videamus *et* cibi." *Id. Tusc.* iii. 19. "Quibus autem hæc sunt inter se communia, *et* civitatis ejusdem habendi sunt." *Id. de Leg.* i. 7. "Doluitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse *et* reipublicæ." *Ib.* iii. 16. "Verum autem primum: verum igitur *et* extremum." *Id. de Off.* iii. 6. "Accessit *et* pestilentia." *Liv.* xxv. 26. "Illis sola in equite vis : Pharasmenes *et* pedite valebat." *Tacit. Ann.* vi. 34. Adde *Cic. pro Rosc. C.* 14: et *in Verr.* i. 28; ii. 65 : et *pro Cluent.* 42 : et *ad Fam.* xiii. 57 ; 69 : et *ad Att.* xii. 5 ; xiii. 37 ; 49 (bis) : et *ad Q. Fr.* ii. 15 : et *de Fin.* ii. 27 : et *de Div.* i. 20 ; 30 ; 53 ; ii. 21 : et *de Leg.* ii. 12 : et *de Senect.* 20.

20. Pronominibus autem præponere *et* pro *etiam* et Ciceroni, et optimis scriptoribus ferè omnibus, planè usitatum est :—

Ego.—"Nunc, ut video, pueri certè in Formiano videntur hiematuri : num *et* ego, nescio." *Cic. ad Att.* vii. 26. "Amor, quo *et* meum ingenium incitatur." *Ib.* ix. 7. "De Philotimo, idem *et* ego arbitrabar." *Ib.* xii. 47.

Tu.—"At enim tuum negotium gessisti benè. Gere *et* tu tuum benè." *Cic. pro Rosc. C.* 11. Adde *ad Att.* xiii. 38.

*"Hoc admonendum est, *et* pro *etiam* apud Ciceronem nusquam reperiri, sicut in ceteris illo posterioribus." *Elegantiæ L.L.* ii. 58.

Ille.—"Quâre *et* illis, qui naturâ memores sunt, utilis hæc erit institutio." *Auct. ad Herenn.* III. 16. "Vellem equidem *et* illud." *Cic. de Senect.* 8. "Demonstravi hæc Cæcilio: simul *et* illud ostendi,—" *Id. ad Att.* I. 1. "Simul *et* illud cogita,—" *Id. ad Q. Fr.* I. 1. 15.—Adde *in Verr.* V. 1: et *pro Domo* 33: et *pro Sext.* 59: et *ad Fam.* VI. 10: et *de Univ.* 9.

Hic.—"Da mihi *et* hoc." *Cic. ad Att.* XVI. 16. Adde *ad Q. Fr.* II. 6: et *ad Brut.* 18. *Auct. ad Herenn.* II. 26.

Is.—"Quod *et* in iis libris dictum est, qui—" *Cic. de Div.* II. 72. Adde *de Leg.* I. 14.

Ipse.—"In maximis philosophiæ partibus operæ plurimum consumserunt, sicut *et* ipse, cujus instituta sequebantur, fecerat." *Cic. de Inv.* II. 2. "Quo in genere non est incommodum, quale quodque eorum sit, ex aliis judicare; ut, si quid dedeceat in illis, vitemus *et* ipsi." *Id. de Off.* I. 41. "Ubi semel, victis tædio animis, procubuissent, inter jumenta *et* ipsa jacentia passim, morientes." *Liv.* XXII. 2. "Diu pugnam ancipitem Pœni, Sardis facilè vinci assuetis, fecerunt: postremò *et* ipsi, quum omnia circà strage ac fugâ Sardorum repleta essent, fusi." *Id.* XXIII. 40. "Ita, dimissis Siculis, *et* ipse in Capitolium ad delectum discessit." *Id.* XXVI. 31. "Philopœmen, præterquàm quòd ita Quinctio placeret, *et* ipse existimabat, classem Romanam exspectandam." *Id.* XXXV. 25. Adde *Cic. pro Cluent.* 51: et *Liv.* passim.

Alius.—"Sunt *et* alia genera definitionum: sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent." *Cic. Topic.* 6. "Quid? tu, Rosci, ubi tunc eras? Romæ. Verùm, quid ad rem? *et* alii multi." *Id. pro Rosc. Am.* 33. "Fateor, me sectorem esse: verùm *et* alii multi." *Ibid.* "Est autem *et* alia dispositio, quæ—" *Auct. ad Herenn.* III. 9. "Est *et* alia de captivis fama:—" *Liv.* XXII. 61. "Ad hanc defectionem erecti sunt *et* aliarum civitatium animi." *Id.* XXIV. 37. "Ii, adscitis *et* aliis primoribus,—" *Tacit. Ann.* VI. 31.

Formulæ speciales:—

Non modò—, sed et—: verùm et—.

21. 1. "Inveteravit enim jam opinio perniciosa reipublicæ, vobisque periculosa, quæ *non modò* Romæ, *sed et* apud

exteras nationes, omnium sermone percrebuit,—" *Cic. in Verr.* a. I. c. 1. " Veri enim et falsi *non modò* cognitio, *sed et* natura, tolletur; si nihil erit, quod intersit." *Id. Acad.* IV. 18. Adde *pro Sull.* 19: et *pro Rab. Post.* 10: et *ad Att.* XI. 9. *Liv.* I. 13; XXI. 60.—" Collationibus *non* receptis *modò*, *verùm et* efflagitatis." *Suet. Neron.* 38. Adde *Domit.* 4.

Non modò—non—, sed et—.

22. 2. " At hi *non modò* illum inimicum ex Galliâ sententiis suis *non* detrahebant, *sed et* propter rationem Gallici belli provinciam extra ordinem decernebant." *Cic. de Provinc.* 8.

Non solùm—, sed et—: verùm et—.*

23. 3. "Itáque, quod Apollo Pythius oraculo edidit,—'Spartam nullâ re aliâ, nisi avaritiâ, perituram,'—id videtur *non solùm* Læcedæmoniis, *sed et* omnibus opulentis populis, prædixisse." *Cic. de Off.* II. 22. "Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones, *neque solùm* eas, quas audistis, *sed et* has, quas vosmetipsi meministis et vidistis:—" *Id. in Catil.* III. 10. " *Non solùm* princeps, *sed et* solus initio, bellum his indixit." *Nep. Thrasyb.* 1. Adde *Suet. Neron.* 6.—" *Non solùm* honoribus, *verùm et* sacerdotiis amplissimis, auctus." *Suet. Vitell.* 5.

Non—tantùm—, sed et—: verùm et—.

24. 4. " Tam immensum terrarum spatium *non* tenent *tantùm* Chauci, *sed et* implent." *Tacit. Germ.* 35.—" Igitur omnibus *non* humanis *tantùm*, *verùm et* divinis, eum honoribus onerant." *Justin.* V. 4. Adde IX. 6; XI. 3 (bis).

Quidem—, sed et—.

25. 5. " Ut . . . res geras magnas *illas*† *quidem*, et maximè

* Ad hanc formulam, cujus scilicet non nisi ex Columellâ exempla profert, annotat Schwarzius:—" *Sed et* rarissime subjiciunt scriptores aurei seculi particulis *non solum.* Dicunt tamen sæpe *non modo*, *sed et*, *verum et:* quod eodem redit." At, quod ipse Cicero bis, semel Nepos, usurpârit; satis probum non esse, dixerit nemo. Ceterùm, antecedente *non modò, sed et* quidem planè atque omnino legitimum esse, suprà demonstravimus, quinque ex Cicerone, ex Livio duobus, exemplis allatis: *verùm et* autem qui τῷ *non modò* subjecerit, scriptorem, quem quidem imitandum existimem, vidi neminem; nam Suetonio auctori in re tali nolim obtemperare.

† *Quidem* concessivum pronomen *ille* adsciscit otiosè.

utiles, *sed et* vehementer arduas, plenasque laborum, et periculorum." *Cic. de Off.* I. 20. ["*Actions great indeed—, but withal—*"] "Sin fugiendum id *quidem* censet, *sed et* multò illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem; errat in eo, quòd—" *Ib.* III. 5. "Aderamus nos *quidem* adolescentes, *sed et* multi amplissimi viri." *Id. de Fin.* II. 17. "Ante omnes tamen (nobilitatus est) Phidias Atheniensis, Jove Olympiæ facto, ex ebore *quidem* et auro; *sed et* ex ære signa fecit." *Plin.* XXXIV. 8 (19). "Ne illud quidem præteribo, quantam afferat fidem expositioni narrantis auctoritas: quam mereri debemus ante omnia *quidem* vitâ, *sed et* ipso genere orationis." *Quinctil. Inst. Orat.* IV. 2.

26. 6. Interdum, omisso *quidem*, sequitur nihilò minùs *sed et*.—"Quamquàm erant literati: *sed et* alii." *Cic. de Off.* I. 37. "Valdè me Athenæ delectârunt: urbs dumtaxat, et urbis ornamentum, et hominum amores in te, et in nos quædam benevolentia: *sed* multùm *et* philosophia." *Id. ad Att.* V. 10. "Memini omnino tuas literas, *sed et* tempus illud." *Ib.* XI. 23. Adde *Cæs. de B. G.* VII. 65.

Primùm— —: sed et— —.

27. 7. "*Primùm* accusandi terrores et minæ, quibus tu quotidie uti solebas, sunt fortis viri: *sed et* populi opinionem à spe adipiscendi avertunt, et amicorum studia debilitant." *Cic. pro Mur.* 21. ["*In the first point of view— —: but then—also—:*" "*but at the same time— —.*"]

Quidem et—, sed—.

28. 8. "Quorum varia oratio fuit; partim pugnantium, quæ...; partim ultro accusantium *quidem et* socios populi Romani, *sed* multò infestiùs M. Aurelium." *Liv.* XXX. 42.

Et—, ceterùm—. Et—quidem—, ceterùm—.

29. 9. "Afros Romanam magnâ ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis *et* ad Trebiam, *ceterùm* magnâ ex parte ad Trasimenum, captis." *Liv.* XXII. 46. *i. e.*, armis aliquâ ex parte ad Trebiam, sed multò maximâ* ex parte ad Trasimenum, captis.—"Pugna atrox ad Sylvam Malitiosam

* "Magnâ ex parte" pro *maximâ ex parte*. Sic *Cic. Tusc.* I. 1:—"Cùm defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino, aut *magnâ ex parte*, essem aliquando liberatus, retuli me, *etc.*"—Atque hîc, à

fuit: ubi *et* peditum *quidem* robore, *ceterùm* equitatu aucto nuper plurimùm, Romana acies valuit." *Liv.* I. 30.

30. *Ut—, sic et—. Sicut—, sic et—.*

30. 10. "Ex quo intelligi potuit id, quod sæpe dictum est: *ut* mare, quod suâ naturâ tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari; *sic et* populum Romanum suâ sponte esse placatum, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, concitari." *Cic. pro Cluent.* 49.— "Num igitur dubitamus, *sicut* pleraque, *sic et* hoc?" *Cic. Tusc.* I. 17.

Quemadmodùm—, sic et—.

31. 11. "Illa longa oratio, nec ad vos pertinens, sit, si, *quemadmodùm* Q. Fabius meas res gestas in Hispaniâ elevavit, *sic et* ego contrà gloriam ejus eludere, et meam verbis extollere, velim." *Liv.* XXVIII. 44. "Si, *quemadmodùm* oris habitus cernitur oculis, inquit, *sic et* animus intùs cerni posset;—" *Id.* XXX. 44.

Cùm—, tum et—.

32. 12. "*Cùm* classem tam infesta statio accepit, *tum et* oppidum, aliâ parte clausum mari, aliâ, ab terrâ, egregiè munitum, . . . inexpugnabile fuit." *Liv.* XXVIII. 6.

Ubi—, ibi et—.

33. 13. "*Ubi* Romanæ legiones sint, *ibi et* Carthaginiensium exercitus debere esse." *Liv.* XXVI. 12.

Idem—, qui et—.

34. 14. "Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non *idem* tribuerit, *quod et*, si adessem?"* *Cic. pro Domo* 32. "Jam tum mihi non placebas, cùm *idem* intuebare, *quod et* Titius, familiaris meus." *Id. ad Fam.* VII. 12. "Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, *eodem*que apud me loco esset, *quo et* est apud patronum suum; majore studio commendare non possem."

lectore philologo me veniam facilè impetraturum esse confido, si et illud annotâro, in membro priore hujus loci Liviani "magnâ ex parte" insititium esse, ex sequentibusque librariorum oscitantiâ inductum: quod viros doctissimos fugisse miror.

* *Quod et si adessem.*] Locus immeritò suspectus; quemque sollicitandum ipse Ernesti parùm feliciter judicavit.

Ib. XIII. 23.—Huc refer *ibidem—, ubi et—.* "Quippe *ibidem* divitiarum cupido est, *ubi et* usus." *Justin.* II. 2.

Simul et.

35. 15. *Simul et*, h. e., *quin etiam, prætereà, et simul* (infrà n. 80).—"Existimabam, . . . : *simul et* verebar, ne—" *Cic. in Verr.* IV. 61. "*Simul et* illud, quis est, qui dubitet, quin—?" *Id. pro Cluent.* 17. "*Simul et* illud quàm sit indignum, cogitemus,—" *Ib.* 57. "*Simul et* illud facit, ut —" *Id. de Provinc.* 15. "Consolabor et hos præsentes, viros optimos, et illam fidelissimam atque amicissimam nobis civitatem; *simul et* vos, non ignorantes, judices, admonebo, —" *Id. pro Balb.* 19. "*Simul et* illa, judices, omnia ante oculos vestros proponite:—" *Ib.* 28. "*Simul et* vides,—" *Id. ad Att.* V. 21. "Certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam adceperat, omnia Romæ venalia esse; *simul et* illorum pollicitationibus adcensus, quos paulò antè muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit." *Sallust. de B. J.* 20. "Hi, quòd in invidiâ res erat, *simul et* ab Numidis obsecrati, triduò navim escendêre." *Ib.* 25. "Milites, modesto inperio habiti, *simul et* locupletes, (Marium) ad cœlum ferre." *Ib.* 92.

Quin et.

36. 16. *Quin et* pro *quin etiam* vel poëticum, vel sequioris ætatis, est.—*Hor. Od.* I. 10. 13; II. 13. 37; III. 11. 21. *Virg. Ge.* II. 30: *Æn.* VI. 735; 777; VII. 750; X. 615; XI. 130.—*Plin.* II. 39; 41; 45 (44); IX. 8 (10); 56 (82); XII. 9 (20); XVIII. 7 (10); XX. 9 (33); XXXIII. 3 (13); XXXV. 12 (46). Sed ipse Cicero hanc formulam semel adhibuit:—"Sed sunt ista parvi: *quin et* majora contemnimus." *Ad Att.* XV. 3.

Nec non et.

37. 17. *Nec non et* est poëticus ferè pleonasmus.—*Virg. Ge.* II. 53; 451; 452; III. 72: *Æn.* I. 707; 748; III. 352; V. 100; VI. 595; VII. 521; VIII. 345; 461; IX. 310.—Sed apud scriptores degeneris Latinitatis etiam in solutâ oratione frequens est. *Plin.* VII. 53 (54); X. 43 (60); XIII. 22 (38); XV. 22 (24).

Et, pro *etiam*, emphaticum.

38. "Ita prorsùs, inquit, *et* anteà putabam." *Cic. Brut.* 42.

"Calamitosus Deiotarus, qui *et* ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modò apud te, sed etiam à suis, accusetur." *Id. pro Deiot.* 10. "Sed, si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges, posse *et* Ἀττικώτατα gravissimè dici." *Id. ad Att.* XV. 1. "Quod *et* nunc multis fit in fanis." *Id. de Leg.* II. 16. "Quid enim est, quod non Fortuna, cùm voluit, *et* florentissimo detrahat?" *Senec. Ep.* 91. "Tangit *et* ira deos." *Ovid. Met.* VIII. 279. "Forsan *et* hæc olim meminisse juvabit." *Virg. Æn.* I. 203. "Cerberus, . . . sævus *et* intranti populo." *Stat. Theb.* II. 28.

39. Huc refer *et ipse* pro *ipse per se, ultro, suâ sponte, suâ naturâ.*—"Hannibal . . . supra septem millia hominum domos remisit, quos *et ipse* gravari militiâ senserat." *Liv.* XXI. 23. [Vid. Walker. ad h. l.] "Ceteros accolas fluminis Hannibal . . . simul perlicit donis ad naves undique contrahendas fabricandasque: simul *et ipsi* trajici exercitum, levarique quàm primùm regionem suam tantâ urgente hominum turbâ, cupiebant." *Ib.* 26. "Is *et ipse* Alpinus amnis longè omnium Galliæ fluminum difficillimus transitu est; . . . quia nullis coërcitus ripis, . . . nova semper vada novosque gurgites faciens, . . . nihil stabile nec tutum ingredienti præbet: et tum, fortè imbribus auctus, *etc.*" Ib. 31. "Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, infensumque *et ipsum* ad reliquias belli persequendas instigabant." *Id.* XXIX. 31. "Ad Syphacem legati missi, summâ ope *et ipsum* reparantem bellum." *Id.* XXX. 7.

40. Eódem refer *non et* pro *ne—quidem;* quod tamen imitandum non videtur.—"Quod ad eum diem numquam usu venisset, ut in tanto discrimine *non et* proximi vestem mutarent." *Liv.* VI. 20. *i. e.*, ne proximi quidem.

41. Eâdem ratione participiis adjectum *et* vim exprimit τοῦ *etsi* in veritate rerum, in rebus hypotheticis τοῦ *etiamsi*:—

1. "Timeo Danaos, *et* dona ferentes."* *Virg. Æn.* II. 49.

* Constructio autem elliptica est:—"Timeo Danaos, et [*timeo Danaos*] dona ferentes." ut appareat, in *et* non aliam, quàm declarandi et amplificandi, vim inesse. Et nimirùm, propriam naturam verborum inspicere si velis, hâc ratione et illas constructiones possis resolvere, *etsi, etiamsi, etiam* pro *etiamsi* participiis adjectum.

II. "Cùm quidem gloriaretur, ut videmus in scriptis, se magistrum habuisse nullum: quod *et* non prædicanti, tamen facilè quidem crederem." *Cic. de N. D.* I. 26. "Horrendum, Aoniis *et* contrà stantibus, agmen." *Stat. Theb.* X. 252.

42. *Et* pro *etiam* nonnumquam vim habet diminutivam:—
"Felix, qui potuit rerum cognoscere causas, . . .
"Fortunatus *et* ille, deos qui novit agrestes,—"
Virg. Ge. II. 490.
"Qui primùm caram juveni, carumque puellæ
"Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
"Durus *et* ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
"Vivere et, ereptâ conjuge, qui potuit." *Tibull.* III. 2.

"Utiles Tragœdiæ: alunt *et* Lyrici, si tamen in his non auctores modò, sed etiam partes operis, elegeris." *Quinctil. Inst. Orat.* I. 8.—Sed in hâc re multò usitatius est ipsum *etiam:* vide, sîs, *Sall. Catil.* 3: et *Cic. pro Mur.* 11: et *de Senect.* 5. et 14.

43. Denique *et* ἐπιδοτικὸν sæpe adsciscit *quoque*, vel *etiam* postpositivum, otiosè:—

I. "Si enim mihi hôdie respondere ad hæc, quæ dico, potueris, . . . posse te *et* illi *quoque* judicio non deesse, . . . arbitrabor." *Cic. in Cæcil.* 14. "Erunt, qui *et* in eo *quoque* audaciam ejus reprehendant, quòd—" *Id. in Verr.* I. 4. "Ejusdem esse, qui in illâ re peccârit, *et* hoc *quoque* admisisse." *Id. de Inv.* II. 16. "Sed *et* aliàs *quoque* nonnumquam non alienum est,—" *Auct. ad Herenn.* IV. 19. "Sic *et* ab hoc *quoque* fonte quæ profluant, animadvertere est facile." *Varr. de L. L.* VII. 33. Adde *Liv.* XXX. 10; XLI. 24.

II. "Addam *et* illud *etiam*,— Cic. ad Fam. V. 2. "Quod *et* in his *etiam*, qui nunc regnant, manet." *Id. de Leg.* III. 2. "Ut *et* numero *etiam*, non animis modò, valeatis." *Liv.* XXI. 54.

Et pro *quin etiam.*

44. *Et* pro *quin etiam, præterea, et simul* (80); *accedit eò, quòd* vel *ut*—; *adde, quòd*—. "Brevitas tuarum li-

terarum me quoque breviorem in scribendo facit: *et*,* verè ut dicam, non satis occurrit, quod scribam." *Cic. ad Fam.* XII. 9. "In viam quòd te des hoc tempore, nihil est: et longum est iter, et non tutum: *et* non video, quid prodesse possis, si veneris." *Ib.* XIV. 12. "Jam deest, quod scribam: *et* † lucet." *Id. ad Att.* V. 3. "Hîc ego Servium exspecto: rogor enim ab ejus uxore et filio: *et* puto opus esse." *Ib.* X. 10. "Properantibus tabellariis alienis hanc epistolam dedi: eò brevior est: *et*, quòd eram missurus meos." *Ib.* XI. 17. "Sed de primâ pensione antè videamus: adest enim dies: *et* ille currit." *Ib.* XII. 8. "Sed neque hæc digna longioribus literis; nec erat, quod scriberem: *et* somnus urgebat." *Ib.* 9. "*Et* loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit." *Liv.* IX. 18. "*Et* auxit rerum suarum suique contemtum consul nimis detegendo cladem nudandoque." *Id.* XXIII. 5. "Equite et levi armaturâ regii, nullum talis auxilii genus habentes Dardanos, oneratos immobilibus armis, vexabant: *et* loca ipsa adjuvabant." *Id.* XXXI. 43. "Id perniciabile reo: *et* Cæsar truci vultu defensionem accipiens." *Tacit. Ann.* IV. 34. "Per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum: *et* vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur." *Ib.* 37. "Non quivis videt immodulata poëmata judex: *Et* data Romanis venia est indigna poëtis." *Hor. de A. P.* 263.

Et pro *et tamen*.

45. "*Et* dubitant homines serere, atque impendere curam!" *Virg. Ge.* II. 433. "Ludentis speciem dabit, *et* torquebitur."‡ *Hor. Epist.* II. 2. 124. "Jamque tres laureatæ in Urbe statuæ, *et* adhuc raptabat Africam Tacfarinas." *Tacit. Ann.* IV. 23. Adde *Propert.* II. 19. 4 (al. 24. 20).

* Hoc loco si quis voluerit τῷ *et* potiùs corrigendi vim tribuere, talem scilicet, qualem apud Ciceronem sæpissime habet *et tamen* (vide n. 94. infrà); non magnoperè repugnabo:—Quamquàm excusatione tuæ brevitatis quid opus est uti, cùm, verè ut dicam, mihi admodùm nihil occurrat, quod scribam?

† Hîc quoque ex τῷ *et* vis quædam corrigendi satis commodè elici potest, et quidem talis, qualem habet *et certè* (vide n. 112. infrà):—Jam deest, quod scribam; et, si non planè deest, quod scribam, tempus certè deest; luce scilicet ad alias res me revocante.

‡ Locus, quem non omnes interpretantur uno modo: quod idcircò mihi annotandum putavi, quòd variante interpretatione loci, variè accipitur

Et pro *et tamen* in interrogationibus.

46. In interrogationibus *et* omnino exprimit Græcum εἶτα, et vim continet argumentandi, quam quidem licet adumbrare sic:—*Quod cùm ita sit, tamenne* — — ? *Quæ res cùm ita se habeat, tamenne* — — ? Quòd autem hujusmodi interrogationes admirationem, confirmationem, indignationem, refutationem, variè continent, hoc nihil ad nostram copulam, cùm ei mirificas potestates tribuant grammatici.—" Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. *Et* dubitas, quin sensus in morte nullus sit, cùm in ejus simulacro videas esse nullum?" *Cic. Tusc.* I. 38. " Non est enim in nostrâ potestate ... oblivio .... *Et* tu oblivisci jubes, quod contra naturam est?" *Ib.* III. 15. " *Et* quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostræ memoriæ bella conficienda, divino quodam consilio natus esse videatur?" *Id. Manil.* 14. " *Et* vos acta Cæsaris defenditis, qui leges ejus evertitis?" *Id. Phil.* I. 8. " *Et* ejus viri nomine me insectari audes, cujus me amicum, te sectorem esse fateare?" *Ib.* II. 15. " *Et* tu ni Cæsaris memoriâ diligens?" *Ib.* 43. " At istud vetat lex Cæsaris. *Et* tu acta Cæsaris defendis?" *Ib.* VIII. 9. " *Et* ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiavit?" *Ib.* XII. 5. " *Et* causam dicit Sextius de vi?" *Id. pro Sext.* 37. " *Et* sunt, qui de viâ Appiâ querantur, taceant de curiâ." *Id. pro Mil.* 33. " *Et* dubitamus adhuc virtutem extendere factis?" *Virg. Æn.* VI. 806. " *Et* se mihi comparat Ajax?" *Ovid. Met.* XIII. 338. " Eripitur nobis jam pridem cara puella: *Et* tu me lacrymas fundere, amice, vetas?" *Propert.* II. 7 (al. 8). Adde *Cic. pro Cluent.* 10: et *de L. Agrar.* II. 26: et *pro Flacc.* 33: et *pro Domo* 32: et *de Harusp. Resp.* 12; 15.

47. Parem vim aliquando habet *et* inter bina verba modi imperativi interjectum.—" *Accipite* nunc, quid imperârit; *et dissimulate*, si potestis, vos intelligere, ipsum prætorem, quod tota Sicilia perspexerit, redemtorem decumarum, atque adeò aratorum dominum ac regem, fuisse." *Cic. in*

etiam *et*. Equidem Lambinum auctorem lubentissimè sequor, "ludentis" interpretantem, *parùm laboriosè scribentis*, et " torquebitur," *multam diligentiam in scribendo adhibebit, multumque laboris insumet:* ut *et* pro *et tamen* sit accipiendum. Alteram interpretationem apud Gesnerum videas.

Verr. III. 30. "*Vide*, quàm turpi leto pereamus; *et dubita*, si potes, quin ille, seu victus, seu victor, redierit, cædem facturus sit." *Id. ad Att.* X. 10.

Et pro *atquî.*

48. "Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute; quod equidem adhuc non amisi: *et* videtis annos." *Cic. de Senect.* 9. "Æmilio dabitur, quantum petet: *et* meliùs nos Egimus." *Juv.* VII. 124.—Hanc vim sæpe habet *et* in parenthesi: suprà n. 16.

Et pro *præsertim.*

49. "Quid erat dubitatione dignum, si esset quidquam, cur placeret, fratrem, *et* talem fratrem, relinqui?" *Cic. ad Att.* VI. 9. i. e., cur placeret, fratrem, talem præsertim, relinqui.—Huc nescio, an revocari possit et illud *ejusd. ad eumd.* V. 2.:—"Itáne? cùm Hortensius veniret, et infirmus, et tam longè, *et* Hortensius; cùm maxima prætereà multitudo; ille non venit?" ubi *et* singularem gravitatem hominis significat: q. d., vir tantus præsertim.

Et pro *et in primis* (73).

50. *Et* pro *et in primis* poëticum est.—"Omnigenûmque deûm monstra, *et* latrator Anubis." *Virg. Æn.* VIII. 698. [Vide suprà c. I. n. 13.]

Et pro *et vicissim* (117).

51. "Per idem tempus Bomilcar, . . . suspectus regi, *et* ipse eum suspiciens, novas res cupere." *Sallust. de B. J.* 70.—Vide infrà n. 190. [et c. III. n. 26.]

Et pro *et continuò.*

52. *Et* pro *et continuò* poëticum est:—

"Hæc Proteus, *et* se jactu dedit æquor in altum."
Virg. Ge. IV. 528.

"Dixerat, *et* spissis noctis se condidit umbris."
Id. Æn. II. 621.

"Dixit, *et* in sylvam pennis ablata refugit." *Ib.* III. 258.

"Dixerat, *et* tenues fugit, ceu fumus, in auras."
Ib. V. 740.

"Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
"Romulus, et votis occupat antè ratis:—

"Juppiter, hæc hôdie tibi victima corruet Acron.
"Voverat, *et* spolium corruit ille Jovi."
Propert. IV. 10. (al. 11.) 13.

Adde *Virg. Æn.* I. 297; 402; 736: III. 189; 669: V. 365; 477: VI. 547; 633; 677: VIII. 366; 387; 615: IX. 14; 52; 410: etc. *Propert.* II. 22. (al. 29.) 10; 39: III. 2. (al. 3.) 25: IV. 4. 65; 89; 6. 55. In illo autem Virgilii, l. IV. *Ge.* v. 499. "subito" vacat:—

"Dixit, *et* ex oculis *subitò*, ceu fumus in auras
"Commixtus tenues, fugit diversa."

[Vide infrà c. III. n. 28.]

Et pro *cùm.*

53. *Et* pro *cùm* vel *quando* poëticum est:—

"Nox media, *et* dominæ mihi venit epistola nostræ."
Propert. III. 14 (al. 16).
"Occidit, *et* misero steterat vigesimus annus."
Ib. 16. (al. 18.) 15.
—"Nec longum tempus, *et* ingens
"Exiit ad cœlum ramis felicibus arbor." *Virg. Ge.* II. 80.
—"Vix prima inceperat æstas,
"*Et* pater Anchises dare fatis vela jubebat."
Id. Æn. III. 8.*
"Vix primos inopina quies laxaverat artus,
"*Et* super incumbens, *etc.*" Ib. v. 857.

[Vide infrà c. III. n. 29.]

Et pro *tum.*

54. *Et* pro *tum* in disputationibus exponendis versatur.—"*Et* Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit: nam—" *Cic. de Orat.* II. 10. "*Et* Antonius, Perpauca quidem mihi restant, inquit: sed tamen—" *Ib.* 57. "*Et* ille, cùm erubuisset, Noli, inquit, ex me quærere—" *Id. de Fin.* v. 2. "*Et* ille ridens, Age, age, inquit, *etc.*" Ib. 3. "*Et* ego, Tu verò, inquam, Piso, ut sæpe aliàs, sic hôdie—" *Ib.* 25. Adde *ib.* 26; 28: et *de N. D.* III. 3: et *Brut.* 31; 32; 33; 41; 44; 46; 72; 74. [Vide suprà c. I. n. 15.]

* Vid. *Burm.* ad h. l.

Et is.

55. I. *Et is* sæpe vim habet distinguendi, et exprimit ferè *qui quidem.*—" Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, *et eorum* illustrium, plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis." *Cic. de Amic.* 1. " Judicia non solemus omnia tractare uno modo. Privatas causas, *et eas* tenues, agimus subtiliùs; capitis aut famæ scilicet, ornatiùs." *Id. ad Fam.* IX. 21. " Alter intelligit, mortem . . . aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem, esse. Itáque eam sapientes numquam inviti, fortes etiam sæpe libenter, appetiverunt. Vincula verò, *et ea* sempiterna, certè ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt." *Id. in Catil.* IV. 4. " Exempla quærimus, *et ea* non antiqua." *Id. in Verr.* III. 90.—Lege n. 60. infrà.

56. II. Sæpe augendi, et locum obtinet *τοῦ et quidem* (102) vel *et is quidem* (105).—" Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, *et ii* docti, sæpe fecerunt." *Cic. de Senect.* 23. " In quo quid est boni præter summam voluptatem, *et eam* sempiternam?" *Id. de Fin.* II. 27. " Habet primùm memoriam, *et eam* infinitam, rerum innumerabilium." *Id. Tusc.* I. 24. " Ego locum æstate umbrosiorem vidi numquam; permultis locis aquam profluentem, *et eam* uberem." *Id. ad Q. Fr.* III. 1. " Admonitus sum ab illo, multò majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de republicâ, præsertim cùm essem . . . consularis, *et is,* qui in maximis versatus in republicâ rebus essem." *Ib.* 5. " Semper hæc . . . numerum oratorium necessitate ipsâ efficiunt, *et eum** sine industriâ." *Id. Orat.* 50. [Vide suprà c. I. n. 18. et infrà c. III. n. 30.]

57. III. Sed plerúmque *et is* vim habet minuendi ac deprimendi, atque adeò rerum tenuitatem augendi; hoc est, ita adhibetur, ut res suâpte naturâ tenues exiguasque, omnino tenuiores atque exiguores reddat.—" Cum unâ legione,

* " Ed. Ven. *etiam.* non malè." *Ernesti.* Mallem *et quidem:* ut in illo, *de N. D.* III. 39:—" Vos enim ipsi dicere soletis, nihil esse, quod deus efficere non possit, *et quidem* sine labore ullo." Sed, ne quid dissimulem, mihi quidem tota illa adjectio, " et cum sine industriâ," glossam redolet: nimirùm, jam posito " *necessitate ipsâ,*" nihil opus est " *sine industriâ.*" Nisi fortè potiùs hoc retinendum, delendum illud:—" Semper hæc . . . numerum oratorium efficiunt, et quidem sine industriâ."

et eâ vacillante, L. fratrem exspectat." *Cic. Phil.* III. 12. "Gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, ænea statua futura, *et ea* pedestris, quàm inaurata equestris." *Ib.* IX. 6. "De nostrâ possessione depulsi, in parvo, *et eo* litigioso, prædiolo relicti sumus." *Id. de Orat.* III. 27. "Unus erit consul, *et is*, non in administrando bello, sed in sufficiendo collegâ, occupatus." *Id. pro Mur.* 39. "Equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui literas non dederim : . . . à te verò bis, terve summùm, *et eas* perbreves, accepi." *Id. ad Fam.* II. 1. "Sed illa cognosces ex aliis : à me pauca, *et ea* summatim." *Ib.* X. 28. "Biduò per unum servum, *et eum* ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium." *Id. ad Att.* I. 16.—Nonnumquam accedit *ipse:*—"Sed via una, *et ea ipsa* præter hostes, erat." *Liv.* X. 35.—Pronominis ellipsis est apud *Cæs. de B. G.* VII. 15. [Vide infrà c. III. n. 31.]

58. *Et id* (subintellecto *facere*) rarum est.—"Respondit, *et id* multis verbis." *Cic. ad Att.* I. 14. [Vide suprà c. I. n. 19. et infrà c. III. n. 33.]

Et idem.

59. I. *Et idem* plerúmque vim habet augendi.—"Næ ego, inquit, incautus, qui cum Academico, *et eodem* rhetore, congredi conatus sim." *Cic. de N. D.* II. 1. "Nunc autem hâctenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, *et eumdem* beatum, rotundum esse velint, quòd eâ formâ ullam neget esse pulchriorem Plato." *Ib.* I. 10. "Asiam istam refertam, *et eamdem* delicatam, sic obiit, ut in eâ neque avaritiæ, neque luxuriæ, vestigium reliquerit." *Id. pro Mur.* 9. "Is, qui erat iratus, competitor tuus, *et idem* meus, assensus est ei, qui ornavit res nostras divinis laudibus." *Id. ad Fam.* II. 15. "Animus acer, et præsens, *et* acutus *idem*, atque versutus, invictos viros efficit." *Id. de Orat.* II. 20. "Sin autem acutum, prudens, *et idem* sincerum, et solidum, et exsiccatum, genus orationis probant;—" *Id. Brut.* 84. "Scævolæ . . . , pontifices ambo, *et iidem* juris peritissimi." *Id. de Leg.* II. 19. [Vide suprà c. I. n. 23. et infrà c. III. n. 36.]

60. II. Nonnumquam distinguendi.—"Si intelligam, posse ad summos pervenire ; non solùm hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque mihi bonus videbitur, obsecrabo : tan-

tum ego in excellente oratore, *et eodem* viro bono, pono esse ornamenti universæ civitati." *Cic. de Orat.* II. 20. i. e., qui quidem sit etiam vir bonus.—Lege n. 55. suprà.

61. III. Atque hoc etiam animadvertendum, in *et idem* aliquando vim nonnullam adversandi esse sitam.—"Cùm ageremus, inquit, vitæ beatum, *et eumdem* supremum, diem, scribebamus hæc." *Cic. de Fin.* II. 30. Nimirùm, quoniam homines non nimis propensi esse solent ad credendum, diem, qui supremus sit accessurus unius cujusque vitæ, eumdem beatum esse futurum; fatendum est, in hâc junctura vim nonnullam adversativam inesse: non enim id agimus, ut, recténe an secùs de hâc re vulgaris opinio se habeat, dijudicemus.* "Vidit enim pater tuus Appium Claudium... ædilem non esse factum, *et eumdem* sine repulsâ factum esse consulem." *Id. pro Planc.* 21. [Vide suprà c. I. n. 24. et infrà c. III. n. 38.]

Et ita.

62. I. *Et ita* amplificantis et explanantis.—"Is, qui..., ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat; *et ita* regnat, ut se non Ponto, neque Cappadociæ latebris, occultare velit, sed emergere—" *Cic. Manil.* 3. "Sed de Lucullo dicam alio loco, *et ita* dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostrâ, neque falsa afficta, esse videatur." *Ib.* 4. "Qui... petisset diligenter, *et ita* petisset, ut neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur." *Id. pro Mur.* 26. "Quâre pertinet quidem ad omnem honestatem hoc, quod dico, decorum; *et ita* pertinet, ut non reconditâ quâdam ratione cernatur, sed sit in promtu." *Id. de Off.* I. 27. "Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives; *et* vives *ita*, ut nunc vivis, multis meis et firmis præsidiis obsessus, ne—" *Id. in Catil.* I. 2. Adde *in Verr.* V. 28: et *pro Font.* 4. [Vide suprà c. I. n. 25 et 26.]

63. *Et ita tamen.*—"Huic ego homini jam antè denuntio,

* Atque hîc facere non possum, quin conjecturam afferam de hoc loco, doctis nondum suspecto, emendando. Quid enim est "*vitæ beatus dies?*" An Latinum est? equidem vix crediderim: et, si Latinum, certè durissimum est. Nimirùm censeo, aut pro "beatum" legendum esse *beatissimum*, (quod scilicet philosopho liceret dicere) "Cùm ageremus vitæ beatissimum, et eumdem supremum, diem;" aut transponenda adjectiva, "Cùm ageremus vitæ supremum, et eumdem beatum, diem." Prior ratio potior esse videtur.

. . . rationem illi defendendi totam esse mutandam; *et ita tamen* mutandam, ut meliore et honestiore conditione sit, quàm quâ ipse esse vult." *Cic. in Cæcil.* 8.

64. II. *Et ita* sæpe exitum rei declarat.—"Et simul tu hoc διευκρινήσεις πρόβλημα, sanè πολιτικόν:—cùm sit necesse, aut . . ., aut persuaderi Cæsari, ut tradat provinciam atque exercitum, *et ita* consul fiat; aut . . .: quod horum malorum . . . minimum putes. Dices profectò, persuaderi illi, ut tradat exercitum, *et ita* consul fiat." *Cic. ad Att.* VII. 9. "Quâre tum oportebit . . . singulatim unam quamque rem attingere, *et ita* omnes transire breviter argumentationes." *Id. de Inv.* I. 52. "Nonus locus est, per quem cum aliis, quæ constat esse peccata, hoc, quo de quæstio est, comparatur; *et ita* per contentionem, quantò atrocius et indignius sit illud, quo de agitur, ostenditur." *Ib.* 54. "Dico, illum . . . aliquot dies ægrotâsse, *et ita* esse mortuum." *Id. pro Cluent.* 60. [Vide suprà c. I. n. 28.]

Et eò magis.

65. "Aratores funditùs evertebantur; *et eò magis*, quòd jam superioribus annis exhausti erant, ac pænè perditi." *Cic. in Verr.* III. 33. "Sanè sum in meo infinito mœrore sollicitus; *et eò magis*, quòd Appii quæstio est." *Id. ad Att.* III. 17. Adde *Brut.* 59; 63: et *pro Cluent.* 47: et *de Harusp. Resp.* 14: et *pro Rab. Post.* 8; 16: et *ad Fam.* XIII. 29; XVI. 15: et *ad Att.* IX. 10; XI. 10; XII. 29; 51: et *ad Q. Fr.* III. 5: et *de Leg.* I. 4: et *de Amic.* 1. [Vide suprà c. I. n. 30. et infrà c. III. n. 39.]

Formulæ speciales:—

66. 1. *Et eò magis, quòd*—, antecedente negatione, rarum est, probum tamen.—"Colloquendi Cæsari causa visa *non* est; *et eò magis, quòd* pridie ejus diei Germani retineri non potuerant, quin in nostros tela conjicerent." *Cæs. de B. G.* I. 47. [Vide infrà c. III. n. 41.]

67. 2. *Et eò magis, quòd*— nonnumquam subjicitur interrogationi, per synesin: nimirùm, sæpe fit, ut interrogationis eadem ratio sit habenda, atque affirmationis aut negationis.—"*An* dubitas, . . . quin ea me cura vehementissimè sollicitet? *et eò magis, quòd*, in communibus miseriis, hâc tamen oblectabar speculâ;—" *Cic. ad Fam.* II. 16. i. e.,

Sanè ea me cura (cave, dubites) vehementissimè sollicitat; et eò magis, quòd—.

68. 3. Cum *et eò magis, quòd*— nonnumquam jungitur interrogatio, per anacoluthian, propter plura interposita.— "Si ulla res est, quæ bonorum animos . . . vehementiùs possit incendere, hæc certè est; *et eò magis, quòd*—portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso—*quod* vectigal superest domesticum, præter vicesimam?" *Cic. ad Att.* II. 16. i. e., et eò magis, quòd . . . de vectigalibus domesticis, præter vicesimam, superest nihil.

69. 4. *Et eò quidem magis* rarum est.—"Ego illa extuli semper; *et eò quidem magis*, ne quid ille superiorum meminisse me putaret." *Cic. ad Att.* IX. 13.

Et eò minùs.

70. "Sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo; *et eò minùs*, quòd hujus consilii jam ne socium quidem habeo quemquam." *Cic. ad Att.* XI. 16. "De Dionysio tuo adhuc nihil extrico; *et eò minùs*, quòd me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hîc refrigeravit." *Vatin. ap. eumd. ad Fam.* V. 10. [Vide suprà c. I. n. 31. et infrà c. III. n. 42.]

71. Eâdem ratione conjungere licet *et eò* cum quovis alio comparativo.—"Quas nos quidem ambas, hanc verò Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audîsti loquentem. Ego verò, ac lubenter quidem, inquit Brutus; *et eò lubentiùs*, quòd L. Crassi erat filia." *Cic. Brut.* 58. "Omnibusque satisfaciemus; *et eò faciliùs*, quòd in nostrâ provinciâ confectæ sunt pactiones." *Id. ad Att.* V. 13.—*Et hôc* autem rarius est:—"Consilio vestro utar libenter; *et hôc libentiùs*, quod—" *Cæs. apud Cic. ad Att.* IX. 6. [Vide suprà c. I. n. 30. *sub fin.*]

Et maximè.

72. "An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis, *et maximè* tragicis, concederem, ut—?" *Cic. Orat.* 31. "Hoc genere antiqui . . . delectabantur, *et maximè* Gorgias." *Ib.* 50. "Apud alios autem, *et* Asiaticos *maximè*,—" Ib. 69. "Testorque omnes deos, *et* eos *maximè*, qui—" *Id. pro L. Manil.*

24. "In multis, *et maximè* in me ipso." *Id. pro Marcell.* 1. "In bello, *et maximè* civili." *Id. Phil.* v. 10. "De unoquoque nostrûm, *et maximè*, qui hoc loco sententias dicimus, sciscitantur omnes." *Ib.* xiv. 7. "Nam, etsi à primâ ætate me omnis ars et doctrina liberalis, *et maximè* philosophia, delectavit; tamen hoc studium quotidiè ingravescit." *Id. ad Fam.* iv. 4. "Tu, quidquid indagâris de republicâ, *et maximè*, quos consules futuros putes, facito, ut sciam." *Id. ad Att.* ii. 4. "Et intereà scribas, si quid intelliges, aut suspicabere; *et maximè*, de legatione quid sit acturus." *Ib.* 7. "De Oppio, factum est ut volui; *et maximè*, quod—" *Ib.* v. 1. "Avidè exspecto tuas literas; *et maximè*, ut nôrim tempus profectionis tuæ." *Ib.* 6. Adde *in Verr.* iv. 27: et *pro Domo* 18: et *ad Fam.* i. 7: et *ad Att.* i. 8; 10; v. 10; vii. 12; x. 9; xi. 16; xii. 35; xiii. 39; xv. 4; 28; xvi. 5: et *ad Q. Fr.* iii. 2; 4; 7 (bis): et *ad Brut.* 3: et *de Fin.* i. 3; iv. 19: et *Tusc.* i. 24: et *de Off.* ii. 22: et *de Amic.* 3. *Sallust. de B. J.* 66. [Vide suprà c. i. n. 32. et infrà c. iii. n. 43.]

Et in primis.

73. "Sed ipse deprehensus, multis hortantibus, *et in primis* Albino consule, indicium profitetur." *Sallust. de B. J.* 35. "Sunt omnes Siculi... homines et satis fortes, et satis planè frugi ac sobrii; *et in primis* hæc civitas, de quâ loquor, judices." *Cic. in Verr.* iii. 27. "Quis ergo intererat vestris consiliis? omnes hi, quos vides huic adesse, *et in primis* Q. Hortensius." *Id. pro Sull.* 4. "Sed tamen sedulò fit, *et in primis* à Patisco." *Id. ad Fam.* ii. 11. "Dionysium... quotidiè pluris facio; *et* mehercule *in primis*, quòd te amat." *Id. ad Att.* v. 9. "Scitis, quæ sequantur; *et* illud *in primis*, 'O pater,'—" *Id. Tusc.* iii. 19. [Vide suprà c. i. n. 33. et infrà c. iii. n. 45.]

Et præcipuè.

74. "Tu, si nos omnes amas, *et præcipuè* me, magistrum tuum, confirma te." *Cic. ad Fam.* xvi. 3. "Novi verò, *et præcipuè* declamatores, audaciùs.... imaginantur." *Quinctil. Inst. Orat.* ix. 2. [Vide infrà c. iii. n. 46.]

Et etiam.

75. i. *Et etiam*, nullo verbo interjecto, rarius est; neque inconcinnitate planè carere videtur: verùm tamen apud

ipsum Ciceronem quatuor exstant exempla.—"Auctoritate tuâ nobis opus est, et consilio, *et etiam* gratiâ." *Ad Fam.* IX. 25. "Idque ut facias quàm sæpissime, ut et, quid tu agas, et, quid agatur, scire possim; *et etiam*, quid acturus sis; valde te rogo." *Ib.* XII. 18. "Ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, *et etiam* de ipso testamento." *Ad Att.* XI. 23. "Rogo te, *et etiam* oro,—" *Ib.* XVI. 16. Adde *Varr. de R. R.* II. 4.

76. II. Elegantiúsque omnino solet aliquid interponi.—"Denique, si judicat, non delectu aliquo, aut sapientiâ, ducitur ad judicandum, sed impetu nonnumquam, *et* quâdam *etiam* temeritate." *Cic. pro Planc.* 4. "Commune cum multis, *et* cum quibusdam *etiam* bonis." *Id. pro Cœl.* 6. "In hâc hominum libidine, *et* (ut adhuc habuit se status judiciorum) *etiam* licentiâ." *Id. in Verr.* III. 88. "Fortem virum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, *et*, si quid ad rem pertinet, *etiam* locupletem." *Id. ad Brut.* 8. "Quòd, si tibi tantum in nobis videtur esse, quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maximè defuit, doctrina certè, et otium, *et* hercule *etiam* studium illud discendi acerrimum, defuit; quid censes, si—?" *Id. de Orat.* I. 17. "Veremur quidem vos, Romani, *et*, si ita vultis, *etiam* timemus: sed plùs et veremur, et timemus, deos immortales." *Liv.* XXXIX. 37.

77. III. Ac notandum est, ubi particulæ aliter separari nequiverint, sæpe *etiam* postpositivè adhibitum esse; in primisque apud Ciceronem.—"Hoc dico, inquit, te esse ex municipio. Fateor, *et* addo *etiam*, ex eo municipio, unde iterùm jam salus huic urbi imperioque missa est." *Cic. pro Sull.* 7. "Id si præstaret, quantum mihi æris alieni esse ibi edidit, tantum, *et* plus *etiam*, ipse mihi deberet." *Id. ad Att.* VII. 3. "Nos autem, præceptis dialecticorum, *et* oratorum *etiam*, (quoniam utramque vim virtutem esse nostri putant) sic parentes, ut legibus,—" *Id. Acad.* I. 2. "Cujus generis Xenocrates *et* superiores *etiam* animum esse dixerunt." *Ib.* 11. "Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus, *et* grandis *etiam*, fuit." *Id. Brut.* 83.

Et item.

78. *Et item* eleganter adhiberi solet in rebus aliquâtenùs correlativis: sed et latiùs patet, conjungitque simul, et modi similitudinem significat; *item* scilicet per syncopen

facto ex *itidem*, h. e., *itadem* vel *itademum*.—"Quâ inventâ selectione, *et item* rejectione, sequitur—" *Cic. de Fin.* III. 6. "Cùm Heraclitum studiosè audirem contra Antiochum disserentem, *et item* Antiochum contra Academicos,—" *Id. Acad.* IV. 4. "Habitum autem appellamus, animi aut corporis constantem et absolutam aliquâ in re perfectionem:—ut virtutis, aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam; *et item* corporis aliquam commoditatem, non naturâ datam, sed studio industriâque partam." *Id. de Inv.* I. 25. "Itáque hoc loco nihil sanè est, quod præcipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris, et tenuioris, *et item* illius mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus." *Id. de Orat.* III. 55. "Neque est obscurum, quin (quoniam in utramque partem sunt exempla, *et item* ad conjecturam faciendam loci) in contrariis contraria sint sumenda." *Id. Partit.* 14. "Ab reo autem, querela conflati criminis collectarumque suspicionum, et accusatoris insidiæ, *et item* commune periculum proferetur." *Ib.* 35. "Faciebant hoc idem in ceteris civitatibus grandes natu matres, *et item* parvuli liberi, miserorum." *Id. in Verr.* V. 49. "Sermo familiaris meus tecum, *et item* mecum tuus, adduxit utrumque nostrûm ad id consilium, ut—" *Id. ad Fam.* XV. 15. [Vide suprà c. I. n. 38. et infrà c. III. n. 48.]

Et prætereà.

79. "In eodem genere causarum multùm erat T. Juventius, nimis ille quidem lentus in dicendo, et pænè frigidus; sed et callidus, et in capiendo adversario versutus, *et prætereà* nec indoctus, et magnâ cum juris civilis intelligentiâ." *Cic. Brut.* 48. "Itáque complures dies, adhibito Heraclito, doctisque compluribus, et in his Antiochi fratre Aristo, *et prætereà* Aristone, et Dione,... multum temporis in istâ unâ disputatione consumsimus." *Id. Acad.* IV. 4. "Tibi datam pecuniam domi retines, *et prætereà* pecuniam permagnam tuo nomine aufers." *Id. in Verr.* III. 87. "Se à Sullâ, *et* alios *prætereà* tres factos esse, dixit." *Id. pro Cluent.* 8. "Adolescentes filii, *et* multi *prætereà* cognati atque affines." *Id. ad Quir.* 3. "Tibi affirmo,... te ex C. Flavii officio et observantiâ, *et prætereà* splendore atque inter suos gratiâ, magnam voluptatem esse capturum." *Id. ad Fam.* XIII. 31. "A. Licinius Aristoteles, Melitensis, antiquissimus est hospes meus, *et prætereà* conjunctus magno

usu familiaritatis." *Ib.* 52. Adde *in Verr.* III. 31; 45: et *ad Fam.* X. 3. et *Auct. ad Herenn.* II. 7; 8; IV. 41. et *Nep. Hannib.* 4. [Vide infrà c. III. n. 49.]

Et simul.

80. I. *Et simul* plerúmque declarat *præterea.*—"Revocare se non poterat, familiaritate implicatus; *et simul* inconstantiæ famam verebatur." *Cic. in Pis.* 29. "Ex quibus multa ... recitarem, nisi vererer, ne hoc ipsum genus orationis, quo nunc utor, ab hujus loci more abhorreret; *et simul* de ipso, qui scripsit, detrahi nolo." *Ibid.* "Hujus libidini adversari nec poterat, nec audebat; *et simul* ab isto donis beneficiisque plurimis devinciebatur." *Id. in Verr.* V. 31. "Quæris ex me, quid ...; *et simul* vis scire, quo modo—" *Id. ad Att.* I. 16. "Itineris nostri causa fuit, quòd ...; *et simul* intelligebam,—" *Ib.* III. 2. "*Et simul* illud videtote,—" *Id. de Leg.* II. 24. Adde *pro Rosc. A.* 27: et *in Verr.* I. 51; II. 25; 28; 40; III. 17; 22; 73; et *pro Cluent.* 25: et *pro Balb.* 16: et *ad Fam.* III. 7; V. 12; VI. 13; VII. 8; 10; IX. 2; 6; XIII. 6: et *ad Att.* III. 9; 15; IV. 6; V. 17; VII. 9; IX. 19; X. 16; XIII. 13; XVI. 12: et *ad Q. Fr.* III. 1. 5. [Vide infrà c. III. n. 51.]

81. II. Nonnumquam *et eodem tempore.*—"Radiculam ore ferre, *et simul* dicere,—" *Cic. de Div.* II. 66. "*Et simul* à subselliis abire cœpit." *Id. in Verr.* II. 29. "Præcidi ancoras imperavit; *et simul*, ut se ceteri sequerentur, signum dari jussit." *Ib.* V. 34. "Jurat, ...; *et simul* dextram intendit ad statuam." *Id. ad Att.* XVI. 15.

Et unà.

82. *Et unà* de personis ferè dicitur. "Tenuit cum hoc locum quemdam etiam Ser. Fulvius, *et unà* Ser. Fabius Pictor." *Cic. Brut.* 21. "Publilia ad me scripsit, matrem suam ... ad me cum illo venturam, *et* se *unà*, si ego paterer." *Id. ad Att.* XII. 32. Adde *Cæs. de B. G.* VII. 39. [Vide infrà c. III. n. 52.]

Et omnino.

83. *Et omnino* specialibus generalia subjungit.—"Rem breviter narrare poterimus, si ..., et si ..., et si .... *Et omnino* non modò id, quod obest, sed etiam id, quod neque

obest, neque adjuvat, satius est præterire." *Auct. ad Herenn.* I. 9. Adde *Cic. pro Cluent.* 32. [Vide infrà c. III. n. 53.]

Et non.

I. *Et non* explanantis.

84. "Magis mirari se, aliquos stantes cecidisse, *et non* omnes comites Cn. Fulvii fuisse pavoris ac fugæ." *Liv.* XXVI. 2. "Separatim illum, sicut hunc, accusari oportere, *et non* cum hujus defensione conjungi illius accusationem." *Cic. de Inv.* II. 29. "Cùm dent operam, ut res multas breviter dicant, non ut omninò paucas res dicant, *et non* plures, quàm necesse sit." *Ib.* I. 20. "Non possum queri, quòd mihi videare aliud quiddam, *et non* id, quod susceperis, disputâsse." *Id. de Orat.* III. 36. "Tu autem, qui id quæris, similiter facis, ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, *et non* altero tantùm, cùm idem uno assequi possim." *Id. de N. D.* III. 3. "Cur eum beatum modò, *et non* beatissimum etiam, dixerim?" *Id. Tusc.* V. 27. "Jam ista tua culpa est, qui verecundiam tecum extuleris, *et non* hîc nobiscum reliqueris." *Id. ad Fam.* VII. 18. "Pacis isti scilicet amatores, *et non* latrocinii auctores?" *Id. ad Att.* XIV. 10. "Non occupatione, quâ eram sanè impeditus, sed parvulâ lippitudine, adductus sum, ut dictarem hanc epistolam; *et non*, ut ad te soleo, ipse scriberem." *Id. ad Q. Fr.* II. 2. "Reprimam jam, *et non* insequar longiùs." *Id. de Leg.* II. 17. [Vide suprà c. I. n. 40.]

Formulæ speciales:—

85. 1. *Si—, et non—.* "Brevis erit (narratio), si unde necesse est, inde initium sumetur, *et non* ab ultimo repetetur." *Cic. de Inv.* I. 20. "*Si* quâdam in argumentatione satis est uti propositione, *et non* oportet adjungere approbationem propositioni." *Ib.* 36. "*Si* unusquisque velit verba spectare, *et non* ad voluntatem ejus, qui verba habuerit, accedere." *Ib.* II. 47. "Quòd si jam populus Romanus de istâ re consultus esset, *et non* omnia per servos latronesque gessisses;—" *Id. pro Dom.* 20. "Omnia, quæ severè decreta sunt hoc tumultu, si aut, quo die dixi sententiam, perfecta essent, *et non* in diem ex die dilata; aut—" *Id. ad Brut.* II. 1. Adde *in Verr.* III. 48. et *Liv.* XXVI. 30; 50.

86. 2. *Si—, et non—* in correctione.—"Quæ pecunia

mulieri legata erat à filio, si qui natus esset, eam præsentem Oppianicus non debitam mulieri solvit—*si* hæc solutio legatorum, *et non* merces abortionis, appellanda est." *Cic. pro Cluent.* 12. "Illi judices — *si* judices, *et non* parricidæ patriæ, nominandi sunt—" *Id. pro Planc.* 29.

87. 3. *Si quidem*—, *et non*— rarum est.—"Socii nostri, cùm belligerare nobiscum vellent, profectò ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possent facere; *si quidem* suâ sponte facerent, *et non* haberent hîc adjutores multos, malos homines et audaces." *Auct. ad Herenn.* IV. 11.

88. 4. *Nisi verò*—, *et non*—. "*Nisi verò* existimatis,... hoc prædandi genus ab isto in illo uno adhibitum ac tentatum, *et non* per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositum et injectum." *Cic. in Verr.* V. 9.

89. 5. *Quasi*—, *et non*—. *Quasi verò*—, *et non*—. "*Quasi* non potuerit id evenire casu, *et non* in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita." *Cic. de Div.* II. 21. "Ita jocaris, *quasi* ego dicam, eos miseros, qui nati non sunt, *et non* eos, qui mortui sunt." *Id. Tusc.* I. 7. —"*Quasi verò* esset Diogenes Cynicus mortuus, *et non* divini hominis Africani mors honestaretur." *Cic. pro Mur.* 36. "*Quasi verò* me tuo arbitratu, *et non* meo, gratum esse oporteat." *Id. pro Planc.* 29. Adde *ibid.* 25.

90. 6. *Tamquam*—, *et non contrà*—. "Qui, *tamquam* extruderetur à senatu in Macedoniam, *et non contrà* prohiberetur proficisci, ita cucurrit." *Cic. Phil.* X. 5.

91. 7. *Et non—potiùs*—. "Quando enim me ista curâsse aut cogitâsse arbitramini, *et non* semper irrisisse *potiùs* eorum hominum impudentiam, qui—?" *Cic. de Orat.* I. 22.

II. *Et non* discretivum.

92. "Potest enim aliquid facere, *et non* agere: ut poëta facit fabulam, *et non* agit; contrà, actor agit, *et non* facit: et sic à poëtâ fabula fit, *et non* agitur; ab actore agitur, *et non* fit." *Varr. de L. L.* V. 8. "Non sensi hoc, *et non* suasi; neque suasi, *et non* ipse statim facere cœpi; neque facere cœpi, *et non* perfeci; neque perfeci, *et non* probavi." * *Auct. ad Herenn.* IV. 25. "Fieri

* *Non*—, *et non*—; *neque*—, *et non*—; etc. Hoc est, Οὐκ—μὲν—,

autem potest, ut rectè quis sentiat, *et* id, quod sentit, politè eloqui *non* possit." *Cic. Tusc.* I. 3. "Habebit igitur linguam deus, *et non* loquetur." *Id. de N. D.* I. 33. "Vides sudare me, jamdudum laborantem, quomodò ea tuear, quæ mihi tuenda sunt, *et* te *non* offendam." *Id. ad Fam.* III. 12. "Ecquid amas Deiotarum, *et non* amas Hieram?" *Id. ad Att.* XVI. 3. Adde *pro Rosc. Com.* 12.

Et tamen.

93. "Nihil horum ne confingi quidem potest: *et tamen* causa de parricidio dicitur." *Cic. pro Rosc. Am.* 28. "Nec verò hominis natura perfecta est: *et* efficitur *tamen* in homine virtus." *Id. de N. D.* II. 14. "Multa prætereunda sunt: *et tamen* multa dicuntur." *Ib.* 53. "Non est igitur mundus deus: *et tamen* nihil est eo melius." *Ib.* III. 9. "In quibus etiam . . . me in illo numero, qui illa non didicissem, *et tamen* (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat." *Id. de Orat.* I. 20. "Et, si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, *et tamen* verum; quantò admirabilius in oratione atque in linguâ?" *Ib.* III. 7. "Quis horum non princeps temporibus illis fuit? *et* suo *tamen* quisque in genere princeps." *Ibid.* "Versus in oratione si efficitur conjunctione verborum, vitium est; *et tamen* eam conjunctionem, sicuti versum, numerosè cadere et quadrare, et perfici, volumus." *Ib.* 44. "Si neutrum neget, *et* contrà *tamen* dicat;—" *Id. de Inv.* II. 43. Adde *de Fin.* I. 16; II. 5; 7; 8; 26; III. 4; 6; 7; 10; V. 4; 9; 24: et alibi passim. [Vide suprà c. I. n. 48.]

Et tamen in correctione, pro *quamquàm.*

94. "Ad App. Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset: et tamen is, cùm sententia senatûs inclinaret ad pacem, et fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ versibus persecutus est Ennius:—'Quò vobis mentes, rectæ quæ stare solebant Antehac, dementes sese flexêre?' ceteraque gravissimè; notum enim vobis carmen est: *et tamen** ipsius Appii exstat oratio." *Cic. de Se-*

οὐκ—δέ· οὐδὲ—μὲν, οὐκ—δέ· κ. τ. λ. Et in hoc exemplo gradationis concinnando auctor respexisse videtur locum illum celeberrimum Demosthenis in oratione Περὶ Στεφάνου, νε', "Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδὲ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσθευσα δέ· οὐδὲ ἐπρέσθευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους."

* *Et tamen* etc.] *i. e.*, quamquàm nihil opus est ad Ennii versus confugere, si quidem ipsius Appii exstat oratio.

nect. 6. "Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sanè fuisse: *et tamen* sic à patribus accepimus." *Ibid.* paucis interjectis. "Equidem, inquit Hortensius, feci plus, quàm vellem; totam enim rem Lucullo integram servari oportuit: *et tamen* fortasse servata est: à me enim ea, quæ in promtu erant, dicta sunt; à Lucullo autem reconditiora desidero." *Id. Acad.* IV. 4. "Novi, quod ad te scriberem, nihil erat: *et tamen*, si quid esset, sciebam te à tuis certiorem fieri solere." *Id. ad Fam.* VI. 4. "Quid aliud novi? *et tamen*, absoluto Gabinio, stomachantes alii judices, horâ pòst, Antiochum . . . condemnârunt." *Id. ad Att.* IV. 16. "Ἄνω κάτω si quid est, est in Aristo, apud quem eram: nam Xenonem . . . Quinto concesseram: *et tamen* propter vicinitatem totos dies simul eramus invicem." *Ib.* V. 10. "Meas cogitationes omnes explicavi tibi superioribus literis: quocircà hæ sunt breves: *et tamen*, quia festinabam, eramque occupatior." *Ib.* X. 6.

Et potiùs.

95. "Desine mollium Tandem querelarum: *et potiùs* nova Cantemus Augusti tropæa Cæsaris." *Hor. Od.* II. 9. 17. "Omitte ista, . . . *et* quære *potiùs*,—" Cic. Acad. I. 1. [Vide suprà c. I. n. 49. et infrà c. III. n. 56.]

Et potiùs in correctione.

96. *Et potiùs* in correctione intensivâ locum obtinet formulæ illius notissimæ *atque adeò* (I. 54).—"Atque hæc ad nostram consuetudinem sunt levia, *et potiùs* contemnenda: at in Græciâ utique olim magnæ laudi erant." *Nep. in Epam.* 2. "At iste, qui senatu non egeret, neque desideravit quemquam,—*et potiùs* discessu nostro lætatus est—statimque illa mirabilia facinora effecit." *Cic. Phil.* II. 42. "Dies enim affert, *et* hora *potiùs*, nisi provisum est, magnas sæpe clades." *Ib.* III. 1. "Non deesse . . . ad ædificandam rempublicam, *et potiùs* libenter accurrere." *Id. ad Fam.* IX. 2. "Meæ objurgationes fuerunt amoris plenissimæ, quæ sunt nonnullæ, sed tamen mediocres, *et* parvæ *potiùs*." Id. ad Q. Fr. I. 2. 4. [Vide suprà c. I. n. 52.]

Et porrò.

97. *Et porrò* pro *atque adeò* (I. 54), cùm sit Ciceronianum, imitandum tamen non videtur.—"Ea nos mala dicimus, sed exigua, *et porrò* minima." *De Fin.* V. 26.

Et quidem.

98. I. *Et quidem* affirmantis.—"Rarum genus: *et quidem* omnia præclara rara." *Cic. de Amic.* 21. "Est enim vis tanta naturæ, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse: *et quidem* formica formicæ." *Id. de N. D.* I. 28. "Ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis: *et quidem* alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis, Jovis." *Ib.* 29. "Solem quoque animantem esse oportet, *et quidem* reliqua astra, quæ—" *Ib.* II. 15. "Isto modo etiam disertus, *et quidem* mathematicus, musicus, omni denique doctrinâ eruditus, postremò philosophus, erit mundus." *Ib.* III. 9. "Non erat hoc apud antiquos. *Et quidem* nihil aliud ferè non erat." *Id. Orat.* 50. "Causa autem fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem: *et quidem*, Cato, totam hanc copiam jam Lucullo nostro notam esse oportebit." *Id. de Fin.* III. 2. "Nam in illâ querelâ... quid est dictum à me cum contumeliâ? quid non moderatè? quid non amicè? *Et quidem* cujus temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto?" *Id. Phil.* II. 3. Adde *ib.* III. 11; VII. 2; VIII. 6; XIII. 15: et *Orat.* 13.

99. Rarissimè accedit *etiam*. "Necesse est, intelligentem esse mundum, *et quidem etiam* sapientem." *Cic. de N. D.* II. 13.

100. II. *Et quidem* assentientis, adjectâ tamen aliquâ conditione.—"Ergo animus, ut ego dico, divinus est; ut Euripides audet dicere, deus: *et quidem*, si deus aut anima aut ignis est, idem est animus hominis." *Cic. Tusc.* I. 26.

101. III. *Et quidem* explanantis.—"Sed, cùm diligenter nec-opinatorum naturam consideres, nihil aliud reperias, nisi omnia videri subita majora: *et quidem* ob duas causas: primùm, quòd—; deindè,—" *Cic. Tusc.* III. 22. "Aliâ quoque ex ratione, *et quidem* physicâ, magna fluxit multitudo deorum." *Id. de N. D.* II. 24. "A majoribus autem nostris 'Optimus Maximus' (dicitur); *et quidem* antè 'Optimus,' id est, beneficentissimus, quàm 'Maximus,' quia majus est, certéque gratius, prodesse omnibus, quàm opes magnas habere." *Ib.* 25. "Nam omnis opinio ratio est; *et quidem* bona ratio, si vera; mala autem, si falsa est opinio." *Ib.* III. 28. "Honestate igitur dirigenda utilitas est, *et quidem* sic,

ut hæc duo, verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare, videantur." *Id. de Off.* III. 21. "Modò venit Octavius, *et quidem* in proximam villam Philippi, mihi totus deditus." *Id. ad Att.* XIV. 11. "Convenerunt corrogati, *et quidem* ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suæ." *Id. Phil.* III. 8. "Repetam stirpem juris à naturâ, quâ duce est nobis omnis disputatio explicanda. *Att.* Rectissimè: *et quidem* istâ duce errari nullo pacto potest." *Id. de Leg.* I. 6. "Qui verò utrâque re excelleret, ut et doctrinæ studiis et regendâ civitate princeps esset, quis facilè, præter hunc, inveniri potest? *Att.* Puto posse; *et quidem* aliquem de tribus nobis. Sed perge, ut cœperas." *Ib.* III. 7.

102. IV. *Et quidem* amplificantis.—"Duo millia jugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignâsti, *et quidem* immunia." *Cic. Phil.* II. 17. "In te autem, M. Antoni, id decrevit senatus,—*et quidem* incolumis, nondum tot luminibus exstinctis,—quod in hostem togatum decerni est solitum more majorum." *Ib.* 21. "At etiam adspicis me, *et quidem*, ut videris, iratus." *Ib.* 30. "Jussus es renuntiari consul, *et quidem* cum ipso." *Ib.* 32. "Feci mehercule, *et quidem* sæpius." *Id. Tusc.* I. 11. "Veniet tempus, *et quidem* celeriter, et sive retractabis, sive properabis: volat enim ætas." *Ib.* 31. "Diceres aliquid, *et* magno *quidem* philosopho dignum, si—" *Ib.* III. 16. "Sed quæro, utrùm aliquid actum superioribus diebus, an nihil, arbitremur? *A.* Actum verò, *et* aliquantum *quidem*." *Ib.* V. 6. "Sunt autem multi, *et quidem* cupidi splendoris et gloriæ, qui eripiant aliis, quod aliis largiantur." *Id. de Off.* I. 14. "Occurritur autem nobis, *et quidem* à doctis et eruditis, quærentibus,—" *Ib.* II. 2. "At multis se probavit: *et quidem* jure fortasse: sed tamen—" *Id. de Fin.* II. 25. "Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, *et quidem* corpore perceptarum." *Ib.* 32. "Est enim aliquid in his rebus probabile, *et quidem* ita, ut ejus ratio reddi possit." *Ib.* III. 17. "Est autem ejus generis actio quoque quædam, *et quidem* talis, ut—" *Ibid.* "Res enim præclarè se habent, *et quidem* in utrâque parte." *Ib.* IV. 4. "Divitiæ, *et* tantæ *quidem*, ut—" *Ib.* 27. "Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis pòst seculis de te judicabunt, *et quidem* haud scio, an incorruptiùs, quàm nos: nam—" *Id. pro Marcell.* 9. "Alexandro draco loqui visus

est, . . . *et quidem*, quò majus sit, cùm radicem ore teneret, locutus est." *Id. de Div.* II. 68. "In eâ parte igitur, in quâ mundi inest principatus, hæc inesse necesse est, *et* acriora *quidem* atque majora." *Id. de N. D.* II. 11. "Etenim si concedimus, intelligentes esse deos, concedimus etiam providentes, *et* rerum *quidem* maximarum." *Ib.* 30. "Vos enim ipsi dicere soletis, nihil esse, quod deus efficere non possit, *et quidem* sine labore ullo." *Ib.* III. 39. "Omnibus curæ sunt, *et* maximè *quidem*, quæ post mortem futura sint." *Id. Tusc.* I. 14. "Dixit, *et* bis *quidem* dixit." *Id. pro Cluent.* 37.

103. V. Denique *et quidem* aliquando ironiæ inservit. —"Cruciatus est à Dolabellâ Trebonius: *et quidem** à Carthaginiensibus Regulus." *Cic. Phil.* XI. 4. "At laudat, et sæpe, virtutem. *Et quidem*† C. Gracchus, cùm largitiones maximas fecisset, et effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium." *Id. Tusc.* III. 20. "At aliquando incenditur: *et quidem* sæpe sedatur." *Id. de Leg.* III. 10. "Utebatur hominibus improbis multis; *et quidem* optimis se viris deditum esse simulabat." *Id. pro Cœl.* 5.

Et is quidem.

104. I. "Definientis:—"Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Læli, viros clarissimos, mihique amicissimos, vivere arbitror: *et eam quidem* vitam, quæ est sola vita nominanda." *Cic. de Senect.* 21. "Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt: *et eorum quidem* maximè, qui ad sapientiam proximè accedunt." *Id. de Amic.* 11. "Nihil necesse est de gustatu et odoratu loqui; . . . quid de tactu, *et eo quidem*, quem philosophi interiorem vocant, aut doloris, aut voluptatis?" *Id. Acad.* IV. 7.

105. II. Augentis:—"Ut esset perfecta illa benè loquendi

* *Et quidem à Carthaginiensibus Regulus.*] Hîc *et quidem* ironiæ nonnihil continet: non enim significare vult orator, par scelus esse Dolabellæ et Carthaginiensium; sed omnino immanius atrociusque illius facinus, qui civis civem crudelissimè trucidârit. Ceterùm post *et quidem* Ernesti è M. S. quodam addidit *et;* quod tamen frigidum videtur.

† *Et quidem C. Gracchus*—] Malè annotat Ernesti, *quidem* esse alienum; et locum, optimè se habentem, frustrà sollicitat. Nimirùm, hoc significare vult auctor, ut C. Gracchus, cùm per largitionem ærarium exhausisset, verbis tamen defenderet ærarium, sic hunc, cùm sæpissime laudet virtutem, tum longissimè à virtute abesse.

laus, multis literis, *et iis quidem* reconditis et exquisitis, summoque studio et diligentiâ, est consecutus." *Cic. Brut.* 72. "Nam quibusdam, *et iis quidem* non admodùm indoctis, totum hoc displicet, philosophari." *Id. de Fin.* I. 1. "Omnesque, qui sine dolore sint, in voluptate, *et eâ quidem* summâ, esse dico." *Ib.* II. 5. "Et tamen ex ipsâ hominum solertiâ, esse aliquam mentem, *et eam quidem* acriorem et divinam, existimare debemus." *Id. de N. D.* II. 6. "Nam, qui septem appellantur, eos, qui ista subtiliùs quærunt, in numero sapientium non habent. Athenis unum accepimus, *et eum quidem* etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum." *Id. de Amic.* 2. "Familiares verò ejus, *et ii quidem*, qui illi jucundissimi sunt, mirabiliter de te et loquuntur, et sentiunt." *Id. ad Fam.* IV. 13. "Mihi res ad cædem, *et eam quidem* propinquam, spectare videtur." *Id. ad Att.* XV. 18. Adde *ibid.* IX. 9; XV. 20: et *Acad.* I. 4; IV. 6; 13; 17; 33.

106. III. Minuentis, atque adeò rerum tenuitatem augentis:—"Similemne putas C. Lælii unum consulatum fuisse, *et eum quidem* cum repulsâ, cum L. Cinnæ quatuor?" *Cic. Tusc.* V. 19. "At verò Epicurus unâ in domo, *et eâ quidem* angustâ, quàm magnos, quantâque amoris conspiratione consentientes, tenuit amicorum greges?" *Id. de Fin.* I. 20. "Quanti autem hæc philosophia æstimanda est, cui, tamquam aniculis, *et iis quidem* indoctis, fato fieri videantur omnia?" *Id. de N. D.* I. 20. "Quod igitur adolescentes, *et ii quidem* non solùm indocti, sed etiam rustici, contemnunt, id docti senes extimescent?" *Id. de Senect.* 20.

Et hic quidem.

107. *Et hic quidem* rarius est: habet autem vim modò explanandi, modò augendi:—

I. "Erunt etiam, *et hi quidem* eruditi Græcis literis, contemnentes Latinas, qui se dicant in Græcis legendis operam malle consumere." *Cic. de Fin.* I. 1.

II. "Sunt autem alii philosophi, *et hi quidem* magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant." *Cic. de N. D.* I. 2. Adde *Acad.* IV. 17.

Et nimirùm.

108. *Et nimirùm* est explanantis.—"Sed inter hos, ætate paulùm his antecedens, sine controversiâ Ser. Galba eloquentiâ præstitit: *et nimirùm* is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur à proposito ornandi causâ, *etc.*" Cic. Brut. 21. "Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: *et nimirùm* hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat." *Id. Tusc.* I. 22. "Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idque rarò; ejulatus ne mulieri quidem: *et* hic *nimirùm* est lessus, quem Duodecim Tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt." *Ib.* II. 23. "Quoniam multùm potest provisio animi et præparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata: *et nimirùm* hæc est illa præstans et divina sapientia, et præceptas penitùs et pertractatas humanas res habere." *Ib.* III. 14. "Nam, cùm de naturâ omni quæritur, disputari solet, (*et nimirùm* ita sunt, ut disputantur) perpetuis cursibus, conversionibus cœlestibus, exstitisse quamdam maturitatem serendi generis humani; *etc.*" Id. de Leg. I. 8. Adde *de L. Agrar.* II. 26: et *ad Att.* XV. 19. et *Auct. ad Herenn.* II. 2.

Et scilicet.

109. *Et scilicet* autem est ironicè loquentis.—"Nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturæ esse jus, disputârint. Att. *Et scilicet* tua libertas disserendi amissa est: aut tu is es, qui in disputando non tuum judicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas?" *Cic. de Leg.* I. 13. Adde *de Div.* II. 21: et *Terent. H. T.* IV. 3. 27.

Et videlicet.

110. "Quos volet, atque in iis se ipsum, renuntiabit: *et videlicet* collegas suos...non repudiabit." *Cic. de L. Agrar.* II. 9.

Et, si quæris,—.

111. "Minimè enim obscurum est, quid isti moliantur; *et, si quæris,* (perspexi enim planè) timent otium." *Cic. ad Att.* XIV. 22. "Hoc cogere volebat, falsas literas esse; *et,*

si quæris, probabat." *Id. ad Brut.* II. 7. Adde *de Off.* III. 20.

Et certè.

112. *Et certè* affirmat, ita tamen, ut accedat aliqua modificatio; aut ita, ut nonnulla dubitatio de re aliquâ conjunctâ subesse videri possit.—" Nam et complectar ejus familiarissimos, ... et in ipsius consuetudinem ... insinuabo: *et certè* omnes vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire posse." *Cic. ad Fam.* IV. 13. i. e., et, sive aliquid profecturus sum, sive non sum, certè omnes vias persequar,—" In me graviores injuriæ, *et certè* notiores." *Id. ad Att.* XIII. 41. i. e., et, si non graviores, certè notiores. " Ipse ad te scripserat Flavius, *et* ego *certè*." Id. ad Q. Fr. I. 2. 3. " Persuasum est enim adolescenti, et maximè per me, ejus operâ nos esse salvos: *et certè*, nisi is Antonium ab urbe avertisset, periissent omnia." *Id. ad Brut.* 3. " *Et certè* in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multùm juvant: maximam verò partem, quasi suo jure, Fortuna sibi vindicat." *Id. pro Marcell.* 2. " Accedit, quòd orationis etiam genus habent fortasse subtile, *et certè* acutum." *Id. de Orat.* III. 18. Adde *Brut.* 95: et *ad Att.* IX. 13. *Brut. ad Cic.* 16.—Vide infrà n. 179. et 213.

Et profectò.

113. *Et profectò* est planè affirmantis.—" Nam, quantò vita illorum præclarior, tantò horum secordia flagitiosior: *et profectò* ita se res habet:—majorum gloria posteris lumen est; neque bona neque mala in obculto patitur." *Sallust. de B. J.* 85. " *Et profectò*, dîs juvantibus, omnia matura sunt, victoria, præda, laus." *Ibid.* " *Et profectò* ita est, ut id habendum sit antiquissimum, et deo proximum, quod sit optimum." *Cic. de Leg.* II. 16. Adde *Vatin. apud eumd. ad Fam.* V. 9.—Vide infrà n. 180.

Et sanè.

114. *Et sanè* est aliquid concedentis, dissentientis tamen, aut certè non planè assentientis, de re aliquâ conjunctâ.—" *Et sanè* Gracchis, cupidine victoriæ, haud satis moderatus animus fuit." *Sall. Jug.* 42. Nimirùm, concedit Sallustius, Gracchis, dum superbiæ nobilitatis obviàm irent, ac plebem vindicare in libertatem pararent, haud satis moderatum animum fuisse: prorsùs autem ab iis dissentit, qui illos in

numerum referant jure cæsorum. Et quidem "haud satis moderatum" per euphemismum verecundéque dicit, et re verâ concedit, Gracchos nobilitati nonnullam injuriam intulisse: itáque continuò :—" Sed bono vinci satius est, quàm malo more injuriam vincere." hoc est, Sed est viri boni, ferre potiùs, quàm malo more persequi, injuriam: et his quidem verbis vitio vertit primùm P. Nasicæ, deinde L. Opimio, omnique parti nobilitatis, quòd injuriam Gracchorum tam malo vicerint exemplo.—" *Et sanè* Marius, illo et aliis temporibus belli, pudore magis, quàm malo, exercitum coërcebat." *Id. ib.* 100. Hîc quoque sententiam suam auctor satis significat: nam, duobus inter se contrariis judiciis de Marii ratione exercitûs coërcendi allatis; uno eorum, qui illum insimularent ambitiosè fecisse, et favorem militum non nimis honestè captâsse; altero eorum, qui rem etiam in laudem illius interpretarentur; continuò subjicit, " Nisi tamen res publica, pariter, ac sævissimo imperio, benè atque decorè gesta." q. d., Equidem, quemadmodum ea res se habuerit, non satis comperi; illud comperi, rem publicam, pariter, ac sævissimo imperio, benè atque decorè gestam fuisse: et ex his quidem verbis, utram in partem ipsius Sallustii inclinaverit judicium, satis intelligi potest.

Et verò, et verò etiam.

115. *Et verò* et *et verò etiam* sunt affirmantis, et exprimunt ferè Græcorum *καὶ δὴ, καὶ δὴ καὶ*. Ceterùm utrumque rarius est :—

I. " Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, à Cottâ, *et verò* sæpius." *Cic. de Div.* I. 5. " Quæ tribuebat idem Attius etiam Q. Maximo, L. Pauli nepoti; *et verò* ante Maximum, illum Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occisus esset, cùm omnibus in rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse." *Id. Brut.* 28. " Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit: *et verò* hic Scipio, collega meus, mihi sanè benè et loqui videtur, et dicere." *Ib.* 58. Adde *ib.* 44: et *Phil.* II. 17.—Vide infrà n. 177. et 212.

II. " Ut enim pictores, et ii, qui signa fabricantur, *et verò etiam* poëtæ, suum quisque opus à vulgo considerari vult, ut, si quid reprehensum sit à pluribus, id corrigatur; *etc.*" Cic. de Off. I. 41.—Vide infrà n. 178. et 197. 6.

Et fortasse.

116. " Nos provinciæ præfecimus Cœlium: pu um, inquies, *et fortasse* fatuum,—" *Cic. ad Att.* VI. 6. " Solius enim meum peccatum corrigi non potest, *et fortasse* Lælii." *Ib.* XI. 15. " Contudi enim animum, *et fortasse* vici, si modò permansero." *Ib.* XII. 44. " Quòd Brutus rogat, ut ante calendas; ad me quoque scripsit: *et fortasse* faciam." *Ib.* XV. 1. " Nostram suffragationem, si minùs potentem, at probatam tamen, et justam, et debitam, *et* propterea *fortasse* etiam gratiosam." *Id. ad Fam.* II. 6. Adde *de Orat.* I. 22.—Vide infrà n. 181. et 197. 8. et 214.

Et vicissim.

117. " Refrigeratio æstate, *et vicissim* aut sol, aut ignis, hibernus." *Cic. de Senect.* 14. " Subtilitatem enim ab Academiâ mutuatur, *et* ei *vicissim* reddit ubertatem orationis, et ornamenta dicendi." *Id. de Fat.* 2.—Vide infrà n. 184.

Et in formulis comparationis, *etc.*

Idem—, et—.

118. " Ignorantes, non *idem* esse agriculturam, *et* pastionem." *Varr. de R. R.* l. II. præf. " Si enim quæratur, *idem*ne sit pertinacia, *et* perseverantia; definitionibus judicandum est." *Cic. Topic.* 23. " Non enim est *idem*, ferre, si quid ferendum est, *et* probare, si quid probandum non est." *Id. ad Fam.* IX. 6. " Sin autem illa veriora, ut *idem* interitus sit animorum, *et* corporum, nec ullus sensus maneat; ut nihil boni est in morte, sic certè nihil mali." *Id. de Amic.* 4. " Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut *eadem* sit utilitas uniuscujusque, *et* universorum." *Id. de Off.* III. 6. " Nescimus per ista tempora *eosdem* ferè sectores fuisse collorum, *et* bonorum?" *Id. pro Rosc. Am.* 29. " Quâre necesse est, *eamdem* esse quæstionem, *et* judicationem." *Id. de Inv.* I. 14. " Deinde, quàm indignum sit, *eodem* affici supplicio eum, qui propter aliquod scelus et audaciam contra legem fecerit, *et* eum, qui honestâ aut necessariâ de causâ, non ab sententiâ, sed ab literis, legis recesserit." *Ib.* II. 48. " Sequitur similitudinem differentia rei, maximè contraria superiori: sed est *ejusdem*, dissimile, *et* simile, invenire." *Id. Topic.* 11. " Quid? in judiciis quæ est colvocatio? *P.* Non *eadem* accusatoris, *et* rei." *Id. Partit.* 4.

" Pecudis, *et* hominis, *idem* bonum esse censent." *Id. Acad.* I. 2. " At enim, dum videntur, *eadem* est in somnis species horum, *et* eorum, quæ vigilantes videmus. Plurimum interest: sed id omittamus: illud enim dicimus, non *eamdem* esse vim, neque integritatem, dormientium, *et* vigilantium, nec mente, nec sensu." *Ib.* IV. 17. " Cæsarem *eodem* tempore hostem, *et* hospitem, vidit." *Id. de Div.* II. 37. " *Eumdem*ne tu arbitrum, *et* judicem, sumebas?" *Id. pro Rosc. C.* 4. " Tum denique ager emetur, cùm *idem* expedierit emtori, *et* venditori." *Id. de L. Agrar.* II. 25. Adde *Brut.* 24: et *pro Domo* 34; 44: et *pro Planc.* 15. *Sall. Catil.* 58: et *Jug.* 85 (bis). *Nep. Milt.* 3. [Vide suprà c. I. n. 61. et infrà c. III. n. 58.]

Æquus—, et—. Æquè—, et—.

119. " Si consilio juvare cives, *et* auxilio, *æquâ* in laude ponendum est; pari gloriâ debent esse ii, qui consulunt, et ii, qui defendunt." *Cic. Topic.* 18.—" Nisi *æquè* amicos, *et* nosmet ipsos, diligamus." *Cic. de Fin.* I. 20. " Cæci *æquè*, *et* ii, qui—" *Ib.* IV. 23. " Non est tamen *æquè* miser, qui patriæ consulit, *et* is, qui illam exstinctam cupit." *Ib.* 24. " Ut enim, inquit, gubernator *æquè* peccat, si palearum navem evertit, *et*, si auri: item *æquè* peccat, qui parentem, *et* qui servum, injuriâ verberat." *Ib.* 27. " Cujus in primis laudabat illud, quòd diceret, eosdem labores non esse *æquè* graves imperatori, *et* militi; quòd ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium." *Id. Tusc.* II. 26. " *Æquè* enim tabulæ condemnantur ejus, qui verum non retulit, *et* ejus, qui falsum perscripsit." *Id. pro Rosc. Com.* 1. " Quos tamen ipsos *æquè*, *et* eos, quos præsentes videtis, hujus exspectatio judicii dies noctesque sollicitat." *Id. pro Cluent.* 69. " Quod enim omnibus patet, et *æquè* promtum est mihi, *et* adversario meo, id esse gratum nullo pacto potest." *Id. pro Mur.* 13. " Egens *æquè* est is, qui non satis habet, *et* is, cui nihil satis potest esse." *Auct. ad Herenn.* IV. 17. Huc refer *æquè—, et—, et—.* " Versûs *æquè* prima, *et* media, *et* extrema, pars attenditur." *Cic. de Orat.* III. 50. Adde *pro Rosc. Com.* 6. [Vide suprà c. I. n. 68. et 69.]

Par—, et—. Pariter—, et—.

120. " Si consilio juvare cives, et auxilio, æquâ in laude ponendum est; *pari* gloriâ debent esse ii, qui consulunt, *et* ii, qui defendunt." *Cic. Topic.* 18. " Quoniam

tibi ita quadrat, omnia fuisse in Themistocle *paria, et* Coriolano." *Id. Brut.* 11. "Honorum gradus summis hominibus, *et* infimis, sunt *pares;* gloriæ dispares." *Id. pro Planc.* 24. "*Paribus* lasciviis ad cupidinem, *et* fastidia." *Tacit. Ann.* XI. 37. "Haudquâquàm *par* gloria sequitur scriptorem, *et* auctorem, rerum." *Sallust. de C. C.* 3.— "Nunc tu mihi es germanus *pariter* corpore, *et* animo." *Terent. Adel.* v. 8. 34. "Qui divorsissumas res *pariter* exspectant, ignaviæ voluptatem, *et* præmia virtutis." *Sall. Jug.* 85. "Prædâque ingenti *pariter, et* parricidii voto, fruitur." *Justin.* VIII. 3. "Blandus *pariter, et* insidiosus, alloquio; qui plura promitteret, quàm præstaret." *Id.* IX. 8. "Hoste cæso, victoriam suis *pariter, et* propè amissam gloriam, restituit." *Id.* X. 3. "Affunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox *pariter et* spiritus raperentur." *Tacit. Ann.* XIII. 16. [Vide suprà c. I. n. 71. et 73. et infrà c. III. n. 59.]

Similis—, et—. Similiter—, et—.

121. "Pythagoram autem respondisse:—*Similem* sibi videri vitam hominum, *et* mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate." *Cic. Tusc.* v. 3. "*Simile* verò est multa committi, *et* condonari omnia?" *Id. de L. Agrar.* II. 17. "Conclusionibus ferè *similibus* in his, *et* judicialibus causis, uti solemus." *Auct. ad Herenn.* III. 5. Huc refer *simillimus—, et—.* "Unum illud audeo... scribere, vehementer quosdam homines... invidisse dignitati tuæ; *simillimam*que in re dissimili, tui temporis nunc, *et* nostri quondam fuisse rationem." *Cic. ad Fam.* I. 7.—"Idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurdè; *similiter, et* si dicat, non reprehendendos parricidas, si—" *Cic. de Fin.* II. 7. [Vide suprà c. I. n. 77. et 79.]

Dissimilis—, et—.

122. "*Dissimilis* est pecuniæ debitio, *et* gratiæ." *Cic. pro Planc.* 28. [Vide suprà c. I. n. 81.]

Juxtà—, et—.

123. "*Juxtà* bonos, *et* malos, lubidinosè interficere." *Sall. Catil.* 51. "Hiemem, *et* æstatem, *juxtà* pati." *Id. Jug.* 85. "*Juxtà* adulatio, *et* superbia." *Tacit. Ann.* IV.

1. "*Juxtà* hieme, *et* æstate, fulgurat." *Plin.* II. 50 (51). Adde *Tacit. Ann.* XII. 17. [Vide suprà c. I. n. 83. et infrà c. III. n. 60.]

Perinde—, et—.

124. "*Perinde* odium pravis, *et* honestis." *Tacit. Ann.* II. 2. "*Perinde* dives, *et* eloquentiâ clarus." *Id. Hist.* IV. 43. [Vide suprà c. I. n. 85.]

Simul—, et—.

125. I. Pro *pariter—, et—.* "Cui *simul, et* Volcatio, pecunia à civitate numerata est." *Cic. in Verr.* III. 76. "Invito despondit ei filiam suam,... ut eum nuptiis alligatum *simul, et* testamenti spe devinctum, posset habere in potestate." *Id. pro Cluent.* 64. "Superbi re *simul, et* verbis, invehentur." *Auct. ad Herenn.* IV. 39. "Neque inficias eo, nos, ex quo adsciti sumus *simul* in civitatem *et* Patres, enixè operam dedisse, ut—" *Liv.* VI. 40. "Ceterùm Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis; ut eâ specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum dolo *simul, et* casibus, objectaret." *Tacit. Ann.* II. 5. "Prospectare jam se acrius servitium, eóque fugere *simul* acta, *et* instantia." *Ib.* VI. 48. Adde *Sallust. de C. C.* 60. [Vide suprà c. I. n. 93. et infrà c. III. n. 61.]

126. II. Pro *simul ut*, vel *cùm primùm*, rarissimum est.—"*Simul et* quid erit certi, scribam ad te." *Cic. ad Att.* II. 20. Adde *ibid.* X. 16. [Vide suprà c. I. n. 94.]

127. III. Pro *eodem tempore* *—, *et—*, eleganter jungit res, non ita facilè coalescentes.—"Bellum parare *simul, et* ærario parcere; cogere ad militiam, quos nolis obfendere; *etc.*" Sall. Jug. 85. [Vide infra c. III. n. 62.]

128. IV. Interdum figuratè adhibetur, et non tam communitatem temporis, quàm celeritatem, significat.—"Adeóque ... animi mutaverant, ut ... geri posse bellum Romani pro victoriâ certâ haberent, Samnites *simul* rebellâsse, *et* vicisse,

* *Simul* pro *eodem tempore* sæpius adsciscit *et* geminatum, quàm simplex *et*: vide infrà n. 153.

crederent Romanum." *Liv.* IX. 12. "Nam Q. Hortensii admodùm adolescentis ingenium, ut Phidiæ signum, *simul* adspectum, *et* probatum est." *Cic. Brut.* 64.

129. V. *Simul—, et—,* nonnumquam declarat *eâdem operâ—, et—.* "Cur igitur non eis faves, quos laudas, quorum similem filium tuum esse vis? *simul* enim reipublicæ consules, et propones illi exempla ad imitandum." *Cic. Phil.* X. 2.

Unà—et—.

130. "Cùm esset gravida Auria, fratris uxor, et jam appropinquare partus videretur, mulierem veneno interfecit; ut *unà* illa, *et* quod erat ex fratre conceptum, necaretur." *Cic. pro Cluent.* 11. Adde *Virg. Æn.* IX. 631. [Vide suprà c. I. n. 100.]

Alius—, et—. Aliter—, et—.

131. "Ignorantes, non idem esse agriculturam, et pastionem: *alius* enim opilio, *et* arator." *Varr. de R. R.* l. II. præf. "Et simul illud videtote, *aliud* habitum esse, sepelire, *et* urere." *Cic. de Leg.* II. 24. "Deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur: ex quo docebimus, *aliud* de eo, quod comparabitur, *et* de eo, quîcum comparabitur, existimari oportere." *Id. de Inv.* I. 44. "*Alia* causa est ejus, qui calamitate premitur, *et* ejus, qui res meliores quærit, nullis suis rebus adversis." *Id. de Off.* II. 18. "Non enim *alia* causa est æquitatis in uno servo, *et* in pluribus." *Id. pro Cæc.* 20. "Lux denique longè *alia* est solis, *et* lychnorum." *Id. pro Cœl.* 28. "*Alia* enim et bona et mala videntur Stoicis, *et* ceteris civibus, vel potiùs gentibus: alia vis honoris, ignominiæ, præmii, supplicii." *Id. de Orat.* III. 18. "Longè mihi *alia* mens est, Patres Conscripti, cùm res atque pericula nostra considero, *et*, cùm sententias nonnullorum mecum ipse reputo." *Sall. Catil.* 52.—"Quædam *aliter* olim, *et* nunc." *Varr. de L. L.* VIII. 38. "Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos, loqui putes oportere...? *aliter* doctos, *et* indoctos?" *Cic. de Fin.* V. 29. "Quòd de puero *aliter* ad te scripsit, *et* ad matrem de filio, non reprehendo." *Id. ad Att.* X. 11. "Illud quidem mutari, si *aliter* est, *et* oportet, non video posse." *Ib.* XI. 23. [Vide suprà c. I. n. 101. et 104.]

Alius—, et alius—, rarissimum est.

132. "Cùm autem *aliud* scriptor sensisse videtur, *et aliud* scripsisse;—" *Cic. Partit.* 38. [Vide suprà c. I. n. 102.]

Unus et idem.

133. "Exitus quidem omnium *unus et idem* fuit." *Cic. de Div.* II. 47. "In eo est peccatum, si non licuit; quod semper *unum et idem* est." *Id. Parad.* III. 1. "Semper *unum et idem*, et sui simile." *Id. de Univ.* 2. "Quibus hoc præcipiendum videtur,—*unum* scilicet, *et idem*, quod ceteris omnibus,—ut—" *Id. in Catil.* II. 9. "Nolite existimare, judices, non *unam et eamdem* omnibus in locis esse fraudatorum et infitiatorum impudentiam." *Id. pro Flacc.* 20. "*Unum et idem* videtur esse, atque id, quod—" *Id. pro Dom.* 20. Adde *Hor. Epist.* II. 2. 200. [Vide suprà c. I. n. 115. et infrà c. III. n. 66.]

Unus et alter.

134. I. Pro *duo*.—"Testes citari jubet: dicit *unus et alter* breviter." *Cic. in Verr.* II. 30. "Qui cùm *unum* jam *et alterum* diem desideraretur,—" *Id. pro Cluent.* 13. "*Unus et alter* dies intercesserat, cùm—" *Ib.* 26. "Cùm autem Scipio *unum et alterum* ex iis, qui eum salutatum venerant, invitâsset, pluresque etiam invitaturus videretur; in aurem Pontius, 'Scipio,' inquit, 'vide, quid agas: acipenser iste paucorum hominum est.'" *Id. de Fato*, apud Macrob. II. 12.—*Et* geminavit, emphaseos causâ, *idem ad Att.* XIV. 18. "Sæpius me jam agitas, quòd rem gestam Dolabellæ nimis in cœlum videar efferre: ego autem, quamquàm sanè probo factum, tamen, ut tanto opere laudarem, adductus sum tuis *et unis et alteris* literis." *i. e.*, adductus sum tuâ non unâ solummodò, sed etiam alterâ, epistolâ. Itemque *Horatius*, *Serm.* I. 6. 101—2. [Vide suprà c. I. n. 116. et infrà c. III. n. 67.]

135. II. Pro *perpauci*.—"Neu, si vafer *unus et alter* Insidiatorem præroso fugerit hamo, Aut spem deponas, aut artem illusus omittas." *Hor. Serm.* II. 5. 24. "Purpureus, latè qui splendeat, *unus et alter* Assuitur pannus." *Id. de A. P.* 15. "Alloquor extremùm mœstos abiturus amicos, Qui modò de multis *unus et alter* erant." *Ovid. de Trist.* I. 3. 15. "*Unus et alter* Forsitan hæc spernant juvenes, quibus

arte benignâ, Et meliore luto, finxit præcordia Titan." *Juv.* XIV. 33. [Vide suprà c. I. n. 117.]

136. III. *Unus et item alter*, pro *alius atque alius* (I. 118), vel *alius post alium.*—"Sed pòst quàm amans accessit, pretium pollicens, *unus et item alter*; . . . accepit conditionem, *etc.*" Terent. Andr. I. 1. 49.

Hic et hic, hic et ille.

137. "Quinctilio si quid recitares; Corrige, sôdes, *Hoc*, aiebat, *et hoc.*" Hor. de A. P. 438.—"Non dicam, illinc *hoc* signum ablatum esse, *et illud:* hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse." *Cic. in Verr.* I. 20.—Huc refer *huc et illuc.* "Non quæro rationes eas, quæ ex conjecturâ pendent; quæ disputationibus *huc et illuc* trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem." *Cic. Acad.* IV. 36. Adde *pro Cornel.* fragm.: et *Auct. ad Herenn.* IV. 11; 49. [Vide suprà c. I. n. 121.]

Magis et magis.

138. "De Græciâ quotidiè *magis et magis* cogito." *Cic. ad Att.* XIV. 18. "Quòd verò scribis, te *magis et magis* delectari, 'O Tite, si quid ego'—; addis mihi scribendi alacritatem." *Ibid.* XVI. 3. [Vide suprà c. I. n. 125. et infrà c. III. n. 70.]

Et figuratè adhibitum.

139. I. Ἓν διὰ δυοῖν.—*Virg. Ge.* II. 192: "*Pateris* libamus *et auro.*" i. e., pateris aureis. *Id. Æn.* I. 61: "*Molem*que *et montes* insuper altos Imposuit." i. e., molem montium. *Id. ib.* X. 754: "Insignis *jaculo et longè fallente sagittâ.*" i. e., jactu longè fallentis sagittæ. *Propert.* IV. 1: "Hoc, quodcumque vides, hospes, quâ maxima Roma est, Ante Phrygem Ænean *collis et herba* fuit." i. e., collis herbosus.—Ab hâc figurâ, quæ quidem poëtarum ferè est, non multùm discrepare videtur illud *Livii*, IX. 24: "Trepidi magistratus, . . . quum *tela et armatos* tenere arcem multiplicato numero audirent, avertunt animos à spe recuperandæ arcis." i. e., telis armatos.—Huc referre licet *et* in epexegesi:—"Cernes *urbem, et* promissa Lavinî *Mœnia.*" Virg. Æn. I. 258. "Ite, *rates* curvas, *et* leti texite *causas.*" Propert. III. 7. 41. "Qui . . . *flagitio et stupro* polluit cæremonias."

Cic. pro Domo suâ, 40. [Vide suprà c. I. n. 127. et infrà c. III. n. 73.]

140. II. Ὕστερον πρότερον.—"*Mores*que viris, *et mœnia*, ponet." *Virg. Æn.* I. 264. ubi Servius:—Hysteron proteron in sensu: antè enim civitas, pòst jura conduntur. Leges autem etiam *mores* dici, non dubium est. "*Moriamur, et* in media arma *ruamus*." Ib. II. 353.* "Pòst quàm *altos tetigit fluctus, et ad æquora venit*." Ib. III. 662.† [Vide infrà c. III. n. 74.]

141. III. Παρὰ προσδοκίαν.—"Si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale, negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ ac multarum imaginum, *et—nullius stipendii*." Sall. Jug. 85. "Probitas laudatur, *et—alget*." Juv. I. 74. "Odi, *et—amo*." Catull. 83.‡

Et postpositum poëticè.

142. "Exagitet nostros manes, sectetur *et* umbras,
"Insultetque rogis, calcet *et* ossa mea."
Propert. II. 7. 81 (al. 8. 19).

* Quem ad locum ita Servius (edente Burmanno):—"Ὕστερον πρότερον: nam antè est in arma ruere, et sic mori. Benè tamen *moriamur* opportuniore loco posuit: antè enim dixerat, *Quæ sit rebus fortuna, videtis*." Hæc ille: quem quidem auctorem grammatici inde ad nostra tempora omnes uno animo sunt sequuti. Sed, cur hîc ad hyperbaton sit confugiendum, equidem non video: interpretor autem sic:—Mortem oppetere sit nobis decretum, scil., ne patriæ superstites simus: et, sic animo parati, in medios hostes irruamus, scil., ut mortem potiùs hostili manu inveniamus, quàm nobis ipsi consciscamus. Nimirùm subsequens versiculus, "Una salus victis *nullam sperare salutem*," nihil aliud est, quàm interpretatio τοῦ "*moriamur*."

† Ne hîc quidem video, cur hyperbaton agnoscam: certè ei, qui primus hunc locum ad figuram ὕστερον πρότερον retulit, simul et illud erat docendum, quid ex "altos fluctus," quid ex "æquora," esset intelligendum. Equidem ex "altos fluctus" eos intelligo, qui, saxis scopulisque allisi, inter litus et æquor, hoc est, planum apertumque mare, essent interjecti: nullum ut sit hyperbaton, nec in sensu, nec in verbis.

‡ Huc fortasse referas sequentia, si modò rerum junctarum dissimilitudinem spectes, quarum consociatio sanè præter exspectationem lectori supervenit: ceterùm his in locis nihil salis, nihil leporis, inest; et vereor equidem, ut ullo pacto junctura rerum tam aspera tamque dura defendi possit:—"Omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, *et—erga reges obsequium*." Tacit. Germ. 43. "Naves inde longæ abactæ, interdictumque mari Antiati populo est, *et—civitas data*." Liv. VIII. 14.

"Ceu pressæ cùm jam portum tetigêre carinæ,
"Puppibus *et* læti nautæ imposuêre coronas."
Virg. Ge. I. 303.

Adde *Ecl.* II. 10: et *Æn.* IV. 418; VI. 389; VIII. 91; 161; 329; 517.

Et geminatum.

143. Hujusce copulæ geminatio omnino frequentior notiorque est, quàm ut, exemplis ejus congestis, operæ pretium fore videatur. Illud autem mihi silentio prætereundum non arbitror, clausulas ita colligatas, aliquando non tam structurâ verborum, quàm sensu, esse inter se conjunctas. Sic *Liv.* I. 25:—"Feroces *et* suopte ingenio, *et* pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt." Nimirùm prioris membri structura est ejusmodi, ut auctor continuò positurus aliquod nomen, quod ratione constructionis sit cum illo "ingenio" (ut ita dicam) homologum, videatur. Constructio autem est hujusmodi:—Feroces et suopte ingenio, et, [*utpote*] pleni adhortantium vocibus. ["*Fierce both from their natural disposition, and* (as being) *inflamed by the exhortations of their friends.*"]

144. Simul et illud tyrones admonitos esse volo, si quando copulâ opus sit ad minutiora membra inter se jungenda, tum perspicuitatis causâ, elegantiæ quidem certè, ad illas reliquas copulas, *que, ac, atque,* esse confugiendum. Ceterùm ne hîc quidem (dicendum est enim sæpius) licet *ac* vel *atque* adhibere, nisi fuerit rerum naturalis aliqua consociatio atque communitas.—"Nam ET perturbationes voluntarias esse putabat, opinionis*que* judicio suscipi, ET omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem, immoderatam quamdam intemperantiam." *Cic. Acad.* I. 10. "Cúmque magna vis videretur esse ET in impetrandis consulendis*que* rebus, ET in monstris interpretandis *ac* procurandis, in haruspicum disciplinâ; omnem hanc ex Etruriâ scientiam adhibebant." *Id. de Div.* I. 2. "Quæ est ista relaxatio, cùm ET præteriti doloris memoria recens est, ET futuri *atque* impendentis torquet timor?" *Id. de Fin.* II. 29. Sed tamen, ne quid dissimulem, fatendum est, scriptores Romanos aliquando in hâc re non nimiam diligentiam adhibere, cùm integra membra, tum etiam eorum partes, inter se per *et* conjungentes.—Ceterùm, hujusce geminationis animadvertendæ sunt formulæ aliquot speciales:—

Duo— ; et—, et—.

145. 1. "Temperantia . . . *duobus* modis in rebus commodis discernitur; *et* ea, quæ absunt, non expetendo, *et* ab iis, quæ in potestate sunt, abstinendo." *Cic. Partit.* 22. "Publicè propter *duas* causas nihil scripsi; quòd *et* . . ., *et*—." Id. ad Fam. xv. 3.

Duplex—; et—, et—. Dupliciter —; et—, et—.

146. 2. "Ut, quicumque te adspexisset, *duplicem* dolorem gemitumque susciperet; *et* ex desiderio clarissimi et fortissimi civis, *et* ex honore turpissimi atque improbissimi." *Cic. in Vatin.* 8. Adde *de Off.* I. 34.—"*Dupliciter* delectatus sum tuis literis; *et* quòd ipse risi, *et* quòd te intellexi jam posse ridere." *Cic. ad Fam.* IX. 20.

Bipartitò ; et—, et—.

147. 3. "Cùm autem de æquo et iniquo disseritur, æquitatis loci colliguntur: hi cernuntur *bipartitò ; et* naturâ, *et* instituto." *Cic. Topic.* 23.

Uterque— ; et—, et—.

148. 4. "Ego *utrumque* meum puto esse; *et*, quid sentiam, ostendere; *et*, quod feceris, defendere." *Cic. ad Fam.* I. 9. "*Utrumque* lætor; *et* sine dolore corporis te fuisse, *et* animo valuisse, cùm ea, quæ sine causâ mirantur alii, neglexeris." *Ib.* VII. 1. "*Utrumque* verò simul agi non potest; *et* de triumpho ambitiosè, *et* de republicâ liberè." *Id. ad Att.* VII. 3. "*Utrumque* opus est; *et* curâ vacare, *et* negotio." *Id. de Leg.* I. 3. "Qui verò *utrâque* re excelleret; ut *et* doctrinæ studiis, *et* regendâ civitate, princeps esset; quis facilè, præter hunc, inveniri potest?" *Ib.* III. 6. "In *utroque* autem genere dicendi; *et* illo, in quo vis atque contentio quæritur, *et* hôc, quod ad vitam et mores accommodatur;—" *Id. de Orat.* II. 53. "Primo impetu simul *utraque* cornua, *et* Numidæ *et* Carthaginienses pulsi." *Liv.* XXX. 8. "Muros dirutos à Lysandro *utrosque*, *et* Piræi, *et* Athenarum, reficiendos curat." *Nep. in Conon.* 2. "Veniebat autem ad Eumenem *utrumque* genus hominum, *et* qui . . ., *et* qui—." *Id. in Eumen.* 11. Adde *Varr. de L. L.* V. 5: et *Cic. pro Rosc. C.* 7 (bis): et *in Verr.* I. 40; II. 25; 63; III. 65: et *pro Cluent.* 14: et *p. r. in Sen.* 2: et *pro Domo*

5 (bis): et *ad Q. Fr.* III. 1. 7: et *de Div.* II. 30.—Vide infrà n. 209.

Idem et—, et—.

149. 5. "Cum *idem et* disseret, *et* judicabit, impelli non poterit, ut falsum judicet?" *Cic. de L. Agrar.* II. 15. "Cui superior annus *idem et* virilem, patris, *et* prætextam, populi, judicio togam dederit." *Id. pro Sext.* 69. "*Eosdem et* religionibus deorum immortalium, *et* summæ reipublicæ, præesse voluerunt." *Id. pro Domo* 1. "Cùm *idem* monumentum *et* domesticæ crudelitatis, *et* nostræ mansuetudinis, haberent." *Id. in Verr.* IV. 33. "*Eisdem* tamen ex locis (ut antè dixi) *et* in maximis, *et* in minimis, quæstionibus argumenta ducuntur." *Id. Topic.* 10. "Itáque in his causis *eadem et* prima quæstio, *et* disceptatio est extrema." *Id. Partit.* 30. "Profectò non potest *eodem* facto *et* saluti communi consuluisse, *et* legibus non obtemperâsse." *Id. de Inv.* I. 40. "Nam illud vehementer repugnat,—*eumdem et* beatum esse, *et* multis malis oppressum." *Id. de Fin.* V. 26.

150. 6. Huc refer *eodem tempore et—, et—.* "Neque enim mirum, cùm *eodem tempore et* ea, quæ præterita sunt,* *et* ea, quæ videntur instare, præparet; si aliquid non animadvertat." *Cic. pro Rosc. A.* 8. "Uno *eodem*que *tempore et* . . ., *et—.*" Id. pro Domo 38.—Vide infrà n. 197.

Communiter et—, et—.

151. 7. "Sunt autem aliquæ suspiciones, quæ *communiter et* ex negotiorum, *et* ex personarum, attributionibus sumuntur." *Cic. de Inv.* II. 13.

Æquè—, et—, et—.

152. 8. "Si contendisset, scio impetraturum non fuisse;

* *Et ea, quæ præterita sunt,* etc.] "In primo intellige *curet* e sequente *præparet,* in quo significatio curæ inest. Forte melius addatur, post *sunt,* quo sit etiam oratio concinnior." Hæc Ernesti: et rectè, quâtenùs judicat verbum aliquod excidisse; ceterùm *curet* non placet: *reputet* conjecit Hotomanus: Lambinus edidit *reparet:* mihi quidem magis arrideret *respiciat.* Nisi fortè quis malit conjicere, in membro posteriore vitiosum esse "*præparet,*" proque eo reponendum verbum aliquod generalius, quod ad utrumque membrum possit referri.

cùm illi sanctissimi viri fuerint, *æquè* autem nefas sit, tale aliquid *et* facere rogatum, *et* rogare." *Cic. de Amic.* 11.

Pariter et—, et—.

153. 9. "Nec pedes . . . (par erat) veliti Romano, parmam gladiumque habenti, *pariter*que *et* ad se tuendum, *et* ad hostem petendum, armato." *Liv.* XXXI. 35. "Addidisti ergo calcaria sponte currenti, *pariter*que *et* tibi veniam recusandi laboris, *et* mihi exigendi verecundiam, sustulisti." *Plin. Epist.* I. 8. Adde *Ovid. Metam.* XI. 556.

Simul et—, et—.

154. 10. "Nihil est enim *simul et* inventum, *et* perfectum." *Cic. Brut.* 18. "Ita *simul et* in memoriam redibit auditor, *et* putabit nihil esse prætereà, quod debeat desiderare." *Id. de Inv.* I. 52. "Illa autem altera ratio et oratio, quæ *simul et* opinionem falsam tollit, *et* ægritudinem detrahit; est ea quidem subtilior, sed rarò proficit." *Id. Tusc.* IV. 28. "Perditissimi est igitur hominis, *simul et* amicitiam dissolvere, *et* fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset." *Id. pro Rosc. Am.* 39. "Equites . . . ex equis desiliunt, cedentibusque jam suis provolant in primum; *simul*que *et* hosti se opponunt, *et* . . . animos peditum accendunt." *Liv.* III. 62. "*Simul et* refringebantur portæ, *et* vis undique in muros fiebat." *Id.* X. 43. "*Simul et* ad castra tumultus erat, *et* per agros fugaque et cædes." *Id.* XXIII. 26. Adde XXVIII. 26; XXXII. 18: et *Sall. Jug.* 91.—Vide infrà n. 197. 2.

Et—, et simul rarum est.

155. 11. "Cùm id suâ causâ faciet; *et* oderit se, *et simul* diliget: quod fieri non potest." *Cic. de Fin.* V. 10.

156. 12. Ceterùm geminatio illa Liviana, *Simul et—, simul et—*, imitanda non videtur: et dubito equidem, an sincera sit lectio.—"*Simul et* à classe navales socii, quâ ex parte urbs mari alluitur, *simul et* terrestris exercitus, ab imminente propè ipsis mœnibus tumulo, est admotus." XXIX. 35.

Unà et—, et—.

157. 13. "Si quis . . . ; is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, *unà et* id, quod facio, probabit, *et* in hâc causâ profectò neminem præponendum esse mihi actorem putabit." *Cic. in Cæcil.* 1.—Vide infrà n. 199.

Uno tempore et—, et—.

158. 14. "Tali consilio, *uno tempore, et* proditores perculit, *et* hostes profligavit." *Nep. in Datam.* 6. "Sic, *uno tempore, et* de navali pugnâ Sabinus, *et* de Sabini victoriâ Cæsar, certior factus est." *Cæs. de B. G.* III. 19. "*Et* ventum, *et* æstum, *uno tempore* nactus secundum." *Ib.* IV. 23. "Ita *uno tempore et* longas naves, . . . *et* onerarias, . . . tempestas afflictabat." *Ibid.* 29.—Vide infrà n. 197. 3.

Et ipse—, et—.

159. 15. "L. Brutus, qui *et ipse* regio dominatu rempublicam liberavit, *et* ad similem virtutem et simile factum stirpem in propè quingentesimum annum propagavit." *Cic. Phil.* I. 6. "Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quòd *et ipsa* senectus concipit dedecus, *et* facit adolescentium impudentiorem intemperantiam." *Id. de Off.* I. 34. "Etenim, ut membra quædam amputantur, si *et ipsa* sanguine et tamquam spiritu carere cœperunt, *et* nocent reliquis partibus corporis; sic—" *Ib.* III. 6.

Et—, et idem—.

160. 16. *Idem* post *et* geminatum vim habet adversativam. —"Utebatur . . . eo cibo, qui *et* suavissimus esset, *et idem* facillimus ad concoquendum." *Cic. de Fin.* II. 20. "Video enim *et* magnos, *et eosdem* benè longinquos, dolores." *Ib.* 29. "Nam, si ita statueris, *et* irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum, *et eosdem* placabiles;—" *Id. ad Att.* I. 17. "Quam ejus actionem multùm tamen *et* splendida et grandis, *et eadem* in primis faceta et perurbana, commendabat oratio." *Id. Brut.* 79.—Vide suprà n. 61.

161. 17. Nonnumquam accedit *etiam.*—"Est enim *et* minimè inepti hominis, *et ejusdem etiam* faceti, cùm de

sapientiâ disceptetur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogent." *Cic. Brut.* 85.

Et—, et—etiam—.

162. 18. "Oratiunculas autem, *et* quas postulas, *et* plures *etiam*, mittam." *Cic. ad Att.* II. 1. "Adhuc *et* factum tuum probatur, *et*, ut in tali re, *etiam* fortuna laudatur." *Id. ad Fam.* IV. 9. "Sed hæc jocati sumus *et* tuo more, *et* nonnihil *etiam* nostro." *Ib.* VII. 14. "Videtur enim mihi *et* plebeculam urbanam, *et*, si fidem fecerit, *etiam* bonos viros, secum habiturus." *Ib.* XVI. 8. "Quamquàm opinio est, *et* eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum, *et* paulò seniorem *etiam* Solonem, posteáque Clisthenem, multùm, ut temporibus illis, valuisse dicendo." *Id. Brut.* 7. "Sed *et* ipse errabat, *et* alios *etiam* errare cogebat." *Ibid.* 82. "Prognosticorum causas persecuti sunt *et* Boëthus Stoicus, qui est à te nominatus, *et* noster *etiam* Posidonius." *Id. de Div.* II. 21. Adde *Liv.* XXIX. 23.—Vide suprà n. 75—7. et infrà n. 197. 4; 199. 2.

Et—, et—quoque—.

163. 19. "Quo modo *et* ipsum, *et* Virgilium *quoque*, scripsisse, manus eorum docent." *Quinctil. Inst. Orat.* I. 7. "Equidem quandoque *et* in personas incidi tales, *et* in rem *quoque*, (quod est magis rarum) quæ obtineri, nisi hâc arte, non posset." *Ib.* IX. 2. Adde *ibid.* IV. 2.—Vide infrà n. 197. 5.

Et—, et item—.

164. 20. "Tempus est . . . pars quædam æternitatis . . . . In hoc *et*, quæ præterierint, considerantur; . . . *et item*, quæ instent in præsentiâ, *etc.*" Cic. de Inv. I. 26. "Credo te memoriâ tenere, me *et* coram P. Cuspio tecum locutum esse, . . . *et item* posteà pluribus verbis tecum egisse, ut—" *Id. ad Fam.* XIII. 6. "Erit enim *et* attenuata verborum constructio quædam, *et item* alia in gravitate, alia posita in mediocritate." *Auct. ad Herenn.* IV. 10. Adde *Liv.* XXIV. 36.—Vide suprà n. 78.

Et—, et prætereà—.

165. 21. "Accusatus est criminibus gravissimis, *et* iis, quæ à me breviter dicta sunt, *et prætereà* multis, quæ ego

omnia nunc omitto." *Cic. pro Cluent.* 22. "Sed nos non possumus *et* hujus esse civitatis, *et* cujusvis *prætereà:* ceteris concessum est." *Id. pro Balb.* 12. "Tu velim *et* Basilo, *et* quibus *prætereà* videbitur, etiam Servilio, conscribas, *etc.*" Id. ad Att. XI. 5. "Mihi verò *et* locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, *et prætereà* ἐγγήραμα." *Ib.* XII. 44.—Vide suprà n. 79.

Et—, et adhuc—.

166. 22. "Abi, nuntia ... Q. Fabio, L. Æmilium præceptorum ejus memorem, *et* vixisse, *et adhuc* mori." *Liv.* XXII. 49.

Et—, et porrò—.

167. 23. "Quibus (donis) ne indignus esset, *et* dedisse operam Masinissam, *et porrò* daturum esse." *Liv.* XXX. 17.

Et—et, quod plus est,—.

168. 24. "Hoc quidem adscensu, inquit, vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint: vos *et* decem numero, *et, quod plus est,** Romani, Romanorumque fortissimi viri, estis." *Liv.* IX. 24.

Et—, et pænè—.

169. 25. "Cædes relinquo, libidines prætereo: quarum acerbissimum exstat indicium, *et* ad insignem memoriam turpitudinis, *et pænè* ad justum imperii nostri odium, quòd —" *Cic. de Provinc.* 3.

Et—, et omnes—.†

170. 26. "Ex senatûs auctoritate *et* senatum, *et omnes* bonos, meæ salutis causâ, mutatâ veste vidi." *Cic. pro Domo* 37. "*Et* hanc hereditatem fraternam, *et omnia* ejus tibi commendo." *Id. ad Fam.* XIII. 30. "Uno meo facto *et* tu *et omnes* mei corruistis." *Id. ad Q. Fr.* I. 4.

* *Et—, et, quod plus est, —.*] Locutio mihi quidem nomine Patavinitatis suspecta: Ciceronem facilè crediderim fuisse dicturum, *et—, et, quod maximum est, —; et—, et, quod maximè refert, —*; nec has quidem formulas, si res ita ferat, dubitem adhibere.

† Eâdem ratione licet fortasse adhibere *et—, et omnino—*; mihi autem nondum contigit exemplum reperire: vide *et omnino* suprà n. 83. et *omninoque* infrà c. III. n. 53.

"Ut humanissimi gratissimique *et* ipsi, *et omnibus*, videremur." *Ib.* II. 3. "Ego, me Hercule, *et* illi, *et omnibus* municipibus, duas esse censeo patrias; unam naturæ, alteram civitatis." *Id. de Leg.* II. 2. "Quâre *et* tibi, Publi, *et* piis *omnibus* retinendus est animus in custodiâ corporis, nec injussu ejus, à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est; ne munus humanum, assignatum à Deo, defugisse videaminii" *Id. Somn. Scip.* 3. "*Et* meo judicio, *et omnium*,—" Id. de Orat. I. 17.

Et—, et non—.

171. 27. "Quod *et* infinitum est, *et non* necessarium." *Cic. de Orat.* I. 46. "Quod *et* fecimus, *et*, ut spero, *non* frustra fecimus." *Id. pro Lig.* 5. "Galli, . . . quæ gens una restat, quæ populo Romano bellum facere *et* posse, *et non* nolle, videatur." *Id. in Catil.* III. 9. "Nam *et* multorum verborum indigent, *et non* tantoperè ad artis descriptionem et præcepta tradenda pertinent." *Id. de Inv.* I. 7. "Profectò non potest eodem facto *et* saluti communi consuluisse, *et* legibus *non* obtemperâsse." *Ib.* 40. "Id *et* nobis erit perjucundum, *et* tibi *non* sanè devium." *Id. ad Att.* II. 4. "Sed certè *et* hæc perdita sunt, *et* illa *non* salutaria." *Ib.* IX. 11. "Satis scire, origini Romanæ *et* deos adfuisse, *et non* defuturam virtutem." *Liv.* I. 9. "Cujus rei semper cupitæ prætermissam occasionem post Cannensem pugnam, *et* alii vulgò fremebant, *et* ipse *non* dissimulabat." *Id.* XXVI. 7. "Quòd si tantum militum Romanorum fuisset, ut *et* Chalcis teneri, *et non* deseri præsidium Athenarum, potuisset; magna res principio statim belli, Chalcis et Euripus ademta regi forent." *Id.* XXXI. 23. Adde *Cic. de Inv.* I. 34; 38: et *Brut.* 32; 34; 36; 67: et *ad Fam.* III. 8; IV. 7; XIII. 16; 22: et *ad Att.* XII. 31; XIV. 11; XVI. 4: et *de Fin.* I. 10; 14; II. 14; III. 19.

Et non—, et—.

172. 28. "Sed hæc (legatio) *et* præsidii apud pudorem Pulchelli *non* habet satis, *et* à fratris adventu me ablegat: illa et munitior est, et non impedit, quò minùs adsim, cùm velim." *Cic. ad Att.* II. 18. "Multorum causas *et non* gravatè, *et* gratuitò, defendentis." *Id. de Off.* II. 19. "Maximè autem perturbantur officia in amicitiis; quibus *et non* tribuere, quod rectè possis, *et* tribuere, quod non sit æquum, contra officium est." *Ib.* III. 10. "Cùm illa te *et*

non contemnere, *et* didicisse, confiterere." *Id. de Orat.* I. 47. "Habetis enim eum consulem, qui *et* parere vestris decretis *non* dubitet, *et* ea, quæ statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum præstare possit." *Id. in Catil.* IV. 11. "Locus is melior, quem *et non* coquit sol, *et* tangit ros." *Varr. de R. R.* III. 14. Adde *Cic. ad Fam.* V. 11; XI. 27.

Non et—, et—.

173. 29. "Deinde addunt conjunctionum negantiam, sic: *Non et* hoc est, *et* illud: hoc autem: non igitur illud. Hic modus est sextus. Septimus autem, *Non et* hoc, *et* illud: non autem hoc: illud igitur." *Cic. Topic.* 14. "*Non et* legatum argentum est, *et non* est legata numerata pecunia: legatum autem argentum est: legata igitur numerata pecunia est." *Ib.* 13. "*Non et* natus est quis oriente Caniculâ, *et* is in mari morietur." *Id. de Fat.* 8. "*Non et* ei venæ sic moventur, *et* febrem is non habet." *Ibid.* "*Non et* sunt in sphærâ maximi orbes, *et* hi non medii inter se dividuntur." *Ibid.*

Et—, et tamen—.

174. 30. "Hîc uterque *et* id posuit, quod conveniebat, *et tamen* suæ causæ commodo consuluit." *Cic. de Inv.* I. 22. "Hic quidem . . . *et* utitur eâ trajectione verborum, *et* nihilò *tamen* aptiùs explet concluditque sententias." *Id. Orat.* 69. "Cùm ita rem constitutam accepisses, ut *et* populo Romano satis frumenti ex Siciliâ suppeditaretur, *et* aratoribus *tamen* arare atque agros colere expediret." *Id. in Verr.* III. 16. "Itáque scripsi *et* ἀκολακεύτως, *et tamen* sic, ut nihil eum existimem lecturum libentiùs." *Id. ad Att.* XIII. 51. Adde *de Inv.* II. 8: et *de Orat.* II. 53; 60: et *de Harusp. Resp.* 17: et *ad Fam.* III. 7; IX. 22; XIII. 15: et *ad Q. Fr.* III. 1. 6; 5.—Vide suprà n. 93.

Et—, et scilicet—.

175. 31. "Te prorsùs vehementer etiam atque etiam rogo, ut . . . *et* Flavii causâ, *et scilicet* Pompeii, facias omnia." *Cic. ad Q. Fr.* I. 2. 3.

Et—, et utique—.

176. 32. "Nam *et* Piliæ satisfaciendum est, *et utique* Atticæ." *Cic. ad Att.* XII. 8.

Et- , et verò—.

177. 33. "Id autem sit magnum et difficile ceteris, sicut est difficillimum : tibi *et* fuit hoc semper facillimum, *et verò* esse debuit." *Cic. ad Q. Fr.* I. 1. 2.

Et—, et verò etiam—.

178. 34. "Quâ quidem voluntate te esse erga Atticum, sæpe præsens *et* illi ostendisti, *et verò etiam* mihi." *Cic. ad Att.* XVI. 16.

Et—, et certè—.

179. 35. "Quæ in veritate causarum *et* rariùs multò facimus, *et certè* occultiùs." *Cic. Orat.* 12. id est, Quæ in veritate causarum et rariùs multò facimus, et—*si non multò rariùs*—certè occultiùs. Nimirùm, quantum affirmationis *rò certè* secundo membro affert, tantum ferè detrahit priori. Adde *de Orat.* II. 37.

Et—, et profectò—.

180. 36. "*Et* ego ex tuis animadverto literis, *et profectò* tu ex meis, nihil habere nos, quod scribamus." *Cic. ad Att.* XII. 27. id est, Et ego ex tuis animadverto literis, et—*si minùs ego ex tuis*—profectò tu ex meis, nihil habere nos, quod scribamus. Et ego ex tuis—, et *multò magis* tu ex meis,—. Adverbium scilicet *profectò*, ut secundam clausulam confirmat, sic dubitationem aut modificationem aliquam quasi rejicit in priorem. Alterum exemplum præbet nobis *idem de Lege Agrar.* II. 18:—"Quamobrem . . . *et* resistam consiliis hominum, *et* perficiam *profectò*, quod ego video comparari, ut id vos universi non solùm videre, verùm etiam tenere, possitis." id est, Quamobrem et resistam consiliis hominum, et—*sive sum fracturus eorum consilia, sive non sum*—perficiam profectò, *etc.*

Et—, et fortassè—.

181. 37. "Qui, *et* sui quæstûs causâ, *et fortassè* quòd sociorum interesse arbitrabatur, benè penitùs in istius familiaritatem sese dedit." *Cic. in Verr.* II. 70.

Et—, et rursùm— : et rursùs—.

182. 38. "Contueri licebit . . . *et* habitabiles regiones, *et rursùm* omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantes."

Cic. Tusc. I. 20. "Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis pòst seculis de te judicabunt, et quidem haud scio, an incorruptiùs, quàm nos: nam *et* sine amore et sine cupiditate, *et rursùs* sine odio et sine invidiâ, judicabunt." *Id. pro Marcell.* 9.

Et—, et contrà—.

183. 39. "Sed *et* ego, quid ille, *et contrà* ille, quid ego sentirem et spectarem, videbat." *Cic. Phil.* II. 15.

Et—, et vicissim—.

184. 40. "Nam, ut imago est animi, vultus; sic indices oculi: quorum *et* hilaritatis, *et vicissim* tristitiæ, modum res ipsæ, de quibus agetur, temperabunt." *Cic. Orat.* 18. "Sed *et* vos ab illo irridemini, *et* ipsi illum *vicissim* eluditis." *Id. Acad.* IV. 39.

Et—, et eodem modo—.

185. 41. "Nihil est enim, de quo minùs dubitari possit, quàm *et* honesta expetenda per se, *et eodem modo* turpia per se esse fugienda." *Cic. de Fin.* III. 11.

Et—, et maximè—.

186. 42. "Quorum pater . . . *et* sæpe aliàs, *et maximè* censor, saluti reipublicæ fuit." *Cic. de Orat.* I. 9. "Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem cùm exercitatione, tum stylo, —qui *et* alia, *et* hoc *maximè*, ornat ac limat,—formanda vobis oratio est." *Ib.* III. 49. "Ergo *et* hæc animi despicientia admirabilitatem magnam facit; *et maximè* justitia (ex quâ unâ virtute viri boni appellantur) mirifica quædam multitudini videtur." *Id. de Off.* II. 11. "Peroratio autem *et* alia quædam habet, *et maximè* amplificationem." *Id. Topic.* 26. "Cùm omnes ante te prætorem Rupilias leges *et* in ceteris rebus, *et* in judiciis *maximè*, observâssent; tu ausus es—" *Id. in Verr.* II. 16. "Id genus hominum, . . . à quo uno *et* summa reipublicæ, *et* illa provincia *maximè*, continetur, tibi est inimicissimum." *Ib.* 61. "Continuæ præturæ, quæ *et* ceteris ornamentis, *et* existimatione innocentiæ *maximè*, floruerunt." *Id. pro Font.* 14.

Et—, et in primis.

187. 43. "Respondentur *et* alia, *et* hæc *in primis:*—" Cic. de Senect. 6. "Hâc igitur fortunâ frui licet senibus:

nec ætas impedit, quò minùs *et* ceterarum rerum, *et in primis* agri colendi, studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis." *Ib.* 17.

Et—, et præcipuè—.

188. 44. "Equidem propinquum nostrum, P. Crassum illum Divitem, *et* multis aliis in rebus elegantem hominem et ornatum, *et præcipuè* * in hoc ferendum et laudandum, puto, quòd,—" *Cic. de Orat.* I. 37.

Et—, et vehementiùs—: et accuratiùs—.

189. 45. "Perorationis præceptis, quæ ad incitandos animos valent, *et* in reliquâ oratione, paululùm digrediens de cursu dicendi, utitur, *et vehementiùs* in perorando." *Cic. Partit.* 4. "Quibus de rebus *et* aliàs sæpe, *et paulò accuratiùs* nuper, . . . disputatum est." *Id. de Div.* I. 5.

Et—, et—, pro *et—vicissim* (117).

190. 46. "Sed ego, qui, cùm tua lego, te audire, et qui, cùm ad te scribo, tecum loqui, videor; idcircò *et* tuâ longissimâ quâque epistolâ maximè delector, *et* ipse in scribendo sæpe sum longior." *Cic. ad Q. Fr.* I. 1. 16. "Illud quidem certè nostrum consilium jure laudandum est, qui meos cives, *et* à me conservatos, *et* me servare cupientes, spoliatos ducibus, servis armatis objici noluerim." *Id. ad Fam.* I. 9. "Ut igitur *et* monere, *et* moneri, proprium est veræ amicitiæ; *etc.*" Id. de Amic. 25. "Solis occasu suas copias Ariovistus, multis *et* illatis, *et* acceptis, vulneribus, in castra reduxit." *Cæs. de B. G.* I. 49.

Et—, et—, pro *et—, et maximè* vel *in primis—.*

191. 47. "Curio fuit igitur ejusdem ætatis ferè, sanè illustris orator, cujus de ingenio ex orationibus ejus existimari potest: sunt enim *et* aliæ, *et* pro Ser. Fulvio de incestu, nobilis oratio." *Cic. Brut.* 32. "Homo *et* in aliis causis exercitatus, *et* in hâc multùm et sæpe versatus." *Id. pro Quint.* 1. "Quid? Polyidum Corinthium, nonne Homerus *et* aliis multa, *et* filio ad Trojam proficiscenti, mortem prædixisse commemorat?" *Id. de Div.* I. 40. "Ut nos *et* sæpe aliàs, *et* adolescentes, contra L. Sullæ dominantis opes pro S. Roscio Amerino, fecimus." *Id. de Off.* II. 14. "Idque *et*

* *Et—, et præcipuè—.*] Ita Pearcius: sed alii aliter.

sæpe aliàs, *et* quodam liberiore, quàm solebat, et magis vacuo ab interventoribus, die, cùm—" *Id. de Fat.* 1. Adde *pro Planc.* 7.

Et—, et—, pro *non—tantummodò, sed—.*

192. 48. "Deinde (ostendendum est), id, quod nos interpretemur, *et* fieri posse, *et* honestè, rectè, lege, more, naturâ, bono et æquo, fieri posse." *Auct. ad Herenn.* II. 11.

Et—, et—, pro *simul et—, et—.*

193. 49. "Hoc sentire, prudentiæ est; facere, fortitudinis; *et* sentire verò, *et* facere, perfectæ cumulatæque virtutis." *Cic. pro Sext.* 40.

Et—et— pro *vel—, vel—.*

194. 50. *Et—, et—,* pro *vel—, vel—,* [ἡμὲν—, ἠδὲ—] poëticum est:—

"Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
"Hoc metuens: molemque et montes insuper altos
"Imposuit, regemque dedit, qui fœdere certo
"*Et* premere, *et* laxas sciret dare jussus habenas.
"Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:—
"Æole, (namque tibi divûm pater atque hominum rex
"*Et* mulcere dedit fluctus, *et* tollere vento)"—
Virg. Æn. I. 60—6.

Et—, et—, discretivum.

195. 51. "Quod consilium, etsi in ejusmodi casu reprehendendum non est, tamen incommodè accidit: nam *et* nostris militibus spem minuit, *et* hostes ad pugnandum alacriores effecit." *Cæs. de B. G.* V. 33. "Quæ res *et* hostes ad insequendum tardabat, *et* nostros spe auxilii confirmabat." *Ibid.* VII. 67. "Quod ubi animadversum est, *et* Romanis multitudo sua auxit animum, *et* paucitas illis minuit." *Liv.* XXI. 50.

Et—, et—, etiam—.

196. "Videbam, . . . si victus essem, multis bonis *et* pro me, *et* mecum, *etiam* post me, esse pereundum." *Cic. p. r. in Sen.* 13.—Vide infrà n. 201.

Et—, et—, et—.

197. "Sed verè laudari ille vir non potest, nisi hæc

ornata sint ; quòd ille ea, quæ nunc sunt, *et* futura viderit, *et*, ne fierent, contenderit, *et*, facta ne videret, vitam reliquerit." *Cic. ad Att.* XII. 4. Exempla sunt passim obvia.—

Formulæ speciales :—

1. *Idem et—, et—, et—*. Cic. pro Rosc. C. 6. Huc refer *eodem tempore et—, et—, et—*. Cic. de H. R. 27.—Vide suprà n. 149.—150.

2. *Simul et—, et—, et—*. Cæs. de B. G. IV. 24.—Vide suprà n. 154.

3. *Uno tempore et—, et—, et—*. Cæs. de B. G. II. 19 ; VII. 73.—Vide suprà n. 158.

4. *Et—, et—, et—etiam—*. Cic. ad Fam. II. 13 ; V. 20 ; IX. 23.—Vide suprà n. 162.

5. *Et—, et—, et—quoque—*. Cic. ad Q. Fr. I. 1. 14.—Vide suprà n. 163.

6. *Et—, et—, et verò etiam—*. Cic. pro Mur. 22.—Vide suprà n. 178.

7. *Et—, et—, et certè—*. Cic. pro Rosc. Am. 16 : et de Off. II. 8.—Vide suprà n. 179.

8. *Et—, et—, et fortasse—*. Cic. de opt. gen. Orat. 1.—Vide suprà n. 181.

9. *Et—, et—, et maximè—*. Cic. ad Fam. II. 19 : et de Off. I. 34.—Vide suprà n. 186.

10. *Et—, et—, et in primis—*. Lentulus apud Cic. ad Fam. XII. 14.—Vide suprà n. 187.

Et—, et—, et—, postremò—.

198. " De amicitiâ omnes ad unum idem sentiunt : *et* ii, qui ad rempublicam se contulerunt ; *et* ii, qui rerum cognitione doctrinâque delectantur ; *et* ii, qui suum negotium gerunt otiosi ; *postremò* ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitiâ vitam esse nullam sentiunt, si modò velint aliquâ ex parte liberaliter vivere." *Cic. de Amic.* 23.

Et—, et—, et—, et—.

199. " Hoc *et* ratio doctis, *et* necessitas barbaris, *et* mos gentibus, *et* feris natura ipsa, præscripsit." *Cic. pro Mil.* 11. Adde *de Senect.* 6 ; 10 : *de Amic.* 7 : etc. Exempla sunt satis obvia : et nimirùm hâc ratione licet *et* adhibere in continuationibus quantumvis longis : vide *Cic. Partit.* 23 :—" Nam *et* prudentiam malitia, *etc.*"——Formulæ speciales :—

1. *Unà et—, et—, et—, et—.* Liv. XXVIII. 44.—Vide suprà n. 157.

2. *Et—, et—, et—, et— etiam—.* Cic. ad Fam. VI. 13; XVI. 17.—Vide suprà n. 162.

Et—, et—, et—, et denique— rarum est.

200. " Quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Nonne *et* audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere; *et* mores feros immanemque naturam, *et* vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, *et denique* omnia ad perniciem profligata atque perdita?" *Cic. pro Rosc. Am.* 13.

Et—, et—, et—, et—, etiam—.

201. " In omni genere et honorum et laborum meorum, *et* animus, *et* opera, *et* auctoritas, *et* gratia, *etiam* res familiaris, C. Capitonis præstò fuit, et patuit et temporibus et fortunæ meæ." *Cic. ad Fam.* XIII. 29.—Vide suprà n. 196.

202. Denique, in parte posteriore longioris enumerationis *et* nonnumquam omittitur.—" Nam et ex fortunâ, et ex naturâ, et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio; et ex habitu animi, aut corporis, pleraque pertinent ad easdem res, quæ rem credibilem, aut incredibilem, facere possunt." *Cic. de Inv.* II. 13.

Et—, —que—.

203. *Et—, —que—*, pro *et* geminato, optimorum scriptorum auctoritate nititur; à nobis scilicet non adhibendum, nisi omnino poscente euphoniâ.—" Memor, *et* quæ essent dicta contrà, quæ*que* ipse dixisset." *Cic. Brut.* 88. " Officia autem *et* servata, prætermissa*que*, media putabat." *Id. Acad.* I. 10. " An quòd omne animal ipsum sibi commendatum, ut se *et* salvum in suo genere, incolume*que*, vellet?" *Id. de Fin.* IV. 8. " Quis est, qui non intelligat, *et* eos . . . immemores fuisse utilitatum suarum, nos*que*, cùm ea laudemus, nullâ aliâ re, nisi honestate, duci?" *Ib.* V. 22. " At *et* morbi perniciosiores, plures*que*, sunt animi, quàm corporis." *Id. Tusc.* III. 3. " Paratissimi *et* ab exercitu, reliquis*que* rebus." *D. Brut. ap. eumd. ad Fam.* XI. 13. " Ademto per inquisitiones *et* loquendi, audiendi*que*, com-

mercio." *Tacit. Agric.* 2. "Id *et* singulis, universis*que*, semper honori fuisse." *Liv.* IV. 2. Adde V. 46; XXIV. 2; XXIX. 12; XXXI. 29. et *Cic. ad Fam.* XIV. 7: et *ad Att.* XIII. 33. [Vide *—que, et—:* infrà c. III. n. 79.]

Et—, ac vel *atque—.*

204. *Et—, ac* vel *atque—*, pro *et* geminato, non licet imitari.—"Nam *et* prædæ cupiditas multos longiùs evocabat; *ac* sylvæ, incertis occultisque itineribus, confertos adire prohibebant." *Cæs. de B. G.* VI. 33. "Accendebantur animi *et* certamine laboris ac periculi, *atque* ipso inter se conspectu." *Liv.* XXVIII. 19.

Et—, nec—. Et—, neque—.

205. "Itaque intelligitis, *et* animum ei præstò fuisse, *nec* consilium defuisse." *Cic. Phil.* XIII. 6. "Si *et* Silius is fuerit, quem tu putas, *nec* Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare." *Id. ad Att.* XII. 33. "Sed *et* ille reprehensus à multis est, *nec* vos exitum reperitis." *Id. de N. D.* I. 38. "Oppidi oppugnatione tribuni abstinuêre; quia *et* anceps erat, *nec* in perniciem coloniæ pugnandum censebant." *Liv.* VI. 22. "Hujus utique redimendi *et* Epicydæ cura erat ingens; *nec* abnuit Marcellus, jam tum Ætolorum ... amicitiam affectantibus Romanis." *Id.* XXV. 23. Adde XXI. 24; XXII. 8; XXVII. 1: et *Cic. ad Fam.* XIII. 10 (bis): et *ad Att.* V. 21; XVI. 13: et *de Fin.* IV. 16: et *de Off.* II. 4.—"Mihi quidem *et* ille pervenisse videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia, *neque* Antonius ullius supplicii adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem esse relicturus." *Cic. Phil.* XI. 3. "Dixitque, *et* in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, *neque* se ei legatum, id ætatis, iisque rebus gestis, defuturum." *Ib.* 7. "Tunc *et* ludi decem per dies facti sunt, *neque* res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est." *Id. in Catil.* III. 8. "Qui *et* rem agnoscit, *neque* hominem ignorat." *Id. pro Flacc.* 20. "Ego verò *et* exspectabo ea, quæ polliceris, *neque* exigam, nisi tuo commodo." *Id. Brut.* 4. Adde *de Orat.* II. 70: et *de Fin.* I. 1: et *ad Att.* XIII. 22.

Et—, nec tamen—. Et—, neque tamen—.

206. "Nam *et* mea laus apud me plurimùm valuit, *nec tamen* quidquam honorificè in quemquam fieri potuit, quod

prætermiserim." *Cic. ad Att.* VII. 1. "Utrumque periculosum est: at hoc, quod agimus, *et* turpe, *nec tamen* tutum." *Ib.* X. 1. "Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantúmque præstat ceteris rebus, ut dici vix possit; *et* beatus esse poterit virtute unâ præditus, carens ceteris, *nec tamen* illud tibi concedet, præter virtutem nihil in bonis esse ducendum." *Id. de Fin.* IV. 18. "Ita *et* similis erit finis boni, atque anteà fuerat, *nec* idem *tamen*." Ib. V. 14. Adde *Liv.* XXXI. 13.—"Ita *et* semper verum fuit, 'Morietur Epicurus, cùm duos et septuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato;' *neque tamen* erant causæ fatales, cur ita accideret." *Cic. de Fat.* 9.

Et—, nec— pro *et—, nec tamen—.*

207. "Næ nos *et* liberati ab egregiis viris, *nec* liberi, sumus." *Cic. ad Att.* XIV. 14.

Nec—, et—. Neque—, et—.

208. "Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ *nec* satis erant nota nostris, *et* erant cognitione dignissima." *Cic. de Off.* II. 2. "At ejus filii *nec* vivi probabantur bonis, *et* mortui numerum obtinent jure cæsorum." *Ib.* 12. "C. Canius, eques Romanus, *nec* infacetus, *et* satis literatus." *Ib.* III. 14. "Sic nobis placet, *nec* pristinum dicendi studium deponere, *et* in hâc majore et uberiore arte versari." *Id. Tusc.* I. 4. "Non possum affirmare, nullis telis eos stipatos fuisse: hoc dico, *nec* multis, *et* occultis." *Id. Phil.* V. 6. "*Nec* à me alieni, *et* tibi amicissimi." *Id. ad Fam.* IV. 6. "Furnium nostrum tanti a te fieri,... *nec* miror, *et* gaudeo." *Ib.* X. 1. "Sed id *nec* dubium est, *et*, si quid habet quæstionis, hoc tamen ipsum ad id, quod propositum est, non est necessarium." *Id. Orat.* 20. "His igitur tot commutationibus, tamque variis, si utemur; *nec* deprehendetur manifestò, quid à nobis de industriâ fiat, *et* occurretur satietati." *Ib.* 65. "Ille *nec* deligere scivit, cujus potissimùm similis esset; *et* in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit." *Id. de Orat.* II. 22. "Breve aliquod dictum, *nec* sine dignitate, *et* cum lepore." *Ib.* 83. Adde *in Verr.* III. 23: et *pro Domo* 35: et *pro Cœl.* 7: et *pro Deiot.* 12: et *ad Fam.* X. 6; XIII. 28; XVI. 15: et *ad Att.* IX. 7; XI. 18; XV. 1: et *ad Q. Fr.* III. 1. 4: et *de Fin.* I. 1; 3; IV. 24; V. 12; 24 (bis). *Liv.* passim—"Homo *neque* meo judicio

stultus, *et* suo valdè sapiens." *Cic. de Orat.* I. 39. "Ego verò, inquit Crassus, *neque* Antonium verbum facere patiar, *et* ipse obmutescam, nisi priùs à vobis impetrâro." *Ib.* II. 7. "Præcisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam *neque* domi imperâram, *et* hic, apud quem eram futurus, sine meâ sententiâ tam facilè promisit." *Ibid.* "*Neque* enim ad hunc sermonem hoc pertinet; *et*, si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicerentur." *Ib.* 58. "Ita se res habet, ut ego, qui *neque* usu satis, *et* ingenio parùm, possum, cum patrono disertissimo comparer." *Id. pro Quint.* 1. "At *neque* C. Aquillius de capite alterius libenter judicat, *et* Q. Hortensius contra caput non didicit dicere." *Ib.* 13. "Docui, . . . causam omnino, cur postularet, non fuisse: quòd *neque* pecunia debebatur; *et*, si maximè deberetur, commissum nihil erat, quâre ad istam rationem perveniretur." *Ib.* 19. "Ita si *neque* adhuc consumta ista pecunia est, *et* est perspicuum non consumtum iri; licet jam intelligamus,—" *Id. in Verr.* II. 58. "Quamobrem *neque* metuam quidquam, *et* cavebo omnia." *Id. ad Fam.* XI. 21. "Requisivi equidem proprias ad me unum literas: sed *neque* vehementer, *et* amanter." *Ib.* XII. 30. Adde *de Orat.* II. 12; 18; 28; III. 4: et *pro Rosc. Am.* 30: et *in Verr.* V. 24: et *pro Font.* 4: et *pro L. Manil.* 1: et *pro Flacc.* 18: et *pro Sull.* 5; 26: et *p. r. in Sen.* 14: et *pro Planc.* 23; 28: et *pro Balb.* 25: et *in Pis.* 9: et *pro Mil.* 38: et *ad Fam.* IV. 7; VI. 10; VII. 1; VIII. 15; XII. 28; XIII. 16; XV. 1; 5: et *ad Att.* III. 15; IX. 10; XII. 42: et *ad Q. Fr.* III. 3: et *Tusc.* I. 23: et *de Leg.* I. 2; 15: et *de Off.* III. 1: et *de Amic.* 21. *Sallust. de B. J.* 1; 31; 69; 71; 74; 84; 85; 86; 95; 107. *Terent. Eun.* V. 5. 22. *Virg. Æn.* II. 71.

Formulæ speciales:—

Uterque—, neque —, et—.

209. 1. "Magna vis est conscientiæ, judices, et magna in *utramque* partem; ut *neque* timeant, qui nihil commiserint; *et* pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccârint." *Cic. pro Mil.* 23.—Vide suprà n. 148.

Nec—, et insupèr—.

210. 2. "Immemor prorsùs, quòd hostiles eorum animos

nec captivitas minuerat, *et insupèr* injuriarum indignitas exacerbaverat." *Justin.* XLII. 1.

Nec—, et tamen—. Neque—, et tamen—.

211. 3. "Aberat omnis dolor: qui si adesset, *nec* molliter ferret, *et tamen* medicis plùs, quàm philosophis, uteretur." *Cic. de Fin.* II. 20. "Putabam, posse me *nec* de laude jejuni hominis delibare quidquam, *et* subesse *tamen* propinquis locis, ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem." *Planc. apud eumd. ad Fam.* X. 21.—"Ut *neque* apertè lædas eos, qui diliguntur, *et tamen* id obscurè faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem." *Cic. de Inv.* I. 17. "Sed ejus rei maturitas *neque* dum venit, *et tamen* jam appropinquat." *Id. ad Q. Fr.* III. 8. "*Neque* planè obcultati humilitate arborum, *et tamen* incerti." *Sallust. de B. J.* 49. "Vinum bibere lene, subausterum, modicè vetus; neque effusè, neque timidè; ut *neque* cruditas ex eo, *et tamen* somnus, fiat." *Cels.* VI. 6.—Vide suprà n. 174.

Neque—, et verò—.

212. 4. "Nimiæ familiaritates eorum *neque* tam fideles sunt, (non enim audent adversari nostris voluntatibus) *et verò* invident non nostris solùm, verùm etiam suis." *Cic. ad Q. Fr.* I. 1. 5.—Vide suprà n. 177.

Nec—, et certè—.

213. 5. "*Nec* enim, dum metuit, justus est; *et certè*, si metuere destiterit, non erit." *Cic. de Fin.* II. 22. "Quid autem interest, ab iis, qui posteà nascentur, sermonem fore de te, cùm ab iis nullus fuerit, qui antè nati sint? qui *nec* pauciores, *et certè* meliores fuerunt viri." *Id. Somn. Scip.* 7. —Vide suprà n. 179.

Nec—, et fortasse—.

214. 6. "Sin se in intimum conjicere vellent; *nec* satis commodè, calceati et vestiti, id facere possent, *et fortasse* non reciperentur." *Cic. pro Cœl.* 26. "Cujus illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, *nec*, si possent, reprimere cuperent, cùm tantum beneficium ei se debere arbitrarentur; *et*, si

vellent, *fortasse* vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam jam vetustate audaciam." *Id. pro Mil.* 12.— Vide suprà n. 181.

Nec—, et multò minùs—.

215. 7. "Hoc *nec* mihi placebat, *et multò* illi *minùs*." Cic. ad Att. XIV. 8.

CAP. III.

DE CONJUNCTIONE COPULATIVA

-QUE.

1. *-Que*, copula enclitica, idem valet, quod *et:* omnino autem cùm vi, tum etiam usu formulisque, exprimit Græcum τε: nec mirum; si quidem ex eo etiam factum est, τ in *qu* immutato.* Ceterùm, est particula sanè utilissima, cùm in solutâ oratione tam fecunda harmoniæ, quàm alia nulla; tum verò Poëticæ ita necessaria, ut, nisi hujusce voculæ minutissimæ præsens auxilium provenisset, summorum poëtarum conatus ad nihilum sæpe venturi fuisse videantur. Ac nimirùm, ut ipse Homerus, copulæ encliticæ τε auxilio orbatus, Catalogum suum illum celeberrimum vix—ac ne vix quidem—ad exitum felicem erat perducturus; sic apud Latinos *-que* poëtarum commodis tantòperè inservit, nihil ut eo utilius elegantiusve memorari possit:—

—— —— "Omnia secum
"Armentarius Afer agit:—tectum*que*, larem*que*,
"Arma*que*, Amyclæum*que* canem, Cressam*que* pharetram."
Virg. Ge. III. 343.

—— —— "Omnem*que* suorum
"Fortè recensebat numerum, caros*que* nepotes,
"Fata*que*, fortunas*que* virûm, mores*que*, manus*que*."
Id. Æn. VI. 681.

2. In primisque illud animadvertendum est, quàm lubenter quantâque cum elegantiâ hæc particula ad dactylum quinti loci explendum, in carmine Heroico, poëtæ se præbeat adjutorem; tum præcipuè, cùm verbo trisyllabo claudendus sit versus. Sed res pænè usitatior est, quàm ut exempla

* De hâc permutatione literarum videndus est *Perizonius ad Sanctii Minerv.* III. 14. [p. 488. *Amst.* 1714.]

poscere videatur: locus notabilis nobis in promtu est, ubi in quatuor continuis versibus totidem videmus exempla:—

"Litore alienа locant alii, flammas*que* ministrant.
"Tum victu revocant vires; fusi*que* per herbam,
"Implentur veteris Bacchi, pinguis*que* ferinæ.
"Postquam exemta fames epulis, mensæ*que* remotæ,—"
Virg. Æn. I. 213.

3. Et, quoniam in hæc incidimus, ne illud quidem alienum est monere, *-que* multâ cum gratiâ in versûs fine sæpe esse adhibitum; ut in his locis *Virgilii: Ge.* II. 340; 503; III. 87; 316: *Æn.* I. 306; II. 206; IX. 412; 495.—Lege n. 78. infrà.

4. Nec verò illud non animadvertendum arbitror, quantâ cum venustate hæc vocula ad nomina propria colliganda, quæ quidem tantummodò ornatûs causâ sint prolata, nec ad narrationis fidem pertineant, nonnumquam adhibeatur. Exemplum insigne habes apud *Virgil.* l. IX. *Æneid.* v. 767. idemque apud *Ovid.* l. XIII. *Metam.* v. 258:—

"Alcandrum*que*, Halium*que*, Noëmona*que*, Prytanim*que:*"

quem quidem versiculum, veluti juris sui, uterque ex Homero depromsit, scil. ex *Il.* ε', 678. Rectè autem ad Virgilium annotavit Servius, "non ad historiam, sed ad ornatum poëmatis, hæc nomina pertinere." Nimirùm non aliter ad historiæ veritatem pertinent, quàm quòd certum numerum hominum significant, quorum propria et vera nomina quæ fuerint, nunc dierum quærere, non magnoperè refert. Consimilisque est ille locus in eodem libro Æneidos, ubi tyro Euryalus, delectu omni ductorum omisso,

"Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem,
"Fadum*que*, Herbesum*que* subit, Rhœtum*que*, Abarim*que*,
"Ignaros; Rhœcum vigilantem et cuncta videntem, *etc.*"

Nihil enim aliud, ut mihi quidem videtur, significare vult Poëta, quàm Euryalum, utpote talis rei insolentem, quinque homines ignobiles, quorumque ne nomina quidem fama conservârit, trucidâsse; et quidem quatuor sopitos, necisque impendentis ignaros; quintum autem "vigilantem, *etc.*"

Unum exemplum ampliùs proferam, scilicet ex ejusdem libro quarto Georgicorum:—

—" Eam circum Milesia vellera nymphæ
" Carpebant, hyali saturo fucata colore:
" Drymo*que*, Xanthoque, Ligea*que*, Phillidoce*que*,
" Cæsariem effusæ nitidam per candida colla:
" Nesæe, Spio*que*, Thalia*que*, Cymodoce*que*;
" Cydippe*que*, et flava Lycorias; altera virgo,
" Altera tum primos Lucinæ experta labores:—"

Quem ad locum Servius:—" Hæ sunt, ut multi volunt, de quibus ait Juno I. *Æn.* 71: *Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ.* Sed magis poëticè conficta nomina accipiamus. Sanè mirâ varietate usus est: nam, ne continuatio nominum posset creare fastidium, in aliis habitum, in aliis habitum, in aliis commemorat virginitatem, in aliis pulchritudinem." Ac de poëticis quidem conjunctionibus hæc existimavimus esse monenda.

5. In solutâ autem oratione, τοῦ *-que* præcipuum munus, quodque ad levitatem suavitatemque juncturæ plurimum confert, est verba inter se conjungere, quæ in communem syllabam desinant. Res usitatissima exempla desiderare non videtur. Unam admonitionem afferam, ut ne temerè ita conjungas verba in vocalem brevem desinentia. Ceterùm, verba in communem aut vocalem longam, aut diphthongum, aut consonantem, desinentia, qui per *-que* junget, non sæpe infeliciter junget.

-Que in secundum locum projectum.

6. I. *-Que*, conjunctionis cum præpositione monosyllabâ vitandæ causâ, sæpissime elegantissiméque in secundum locum transit:—

A.—" In quo etiam isti nos jurisconsulti impediunt, *à* discendo*que* deterrent." *Cic. de Orat.* II. 33. " Tum planè inficimur opinionum pravitate, *à* naturâ*que* desciscimus." *Id. Tusc.* III. 2. Adde *Brut.* 91: et *pro Rosc. A.* 5: et *ad Fam.* XIII. 10; 63; XV. 15: et *ad Att.* XV. 14; XVI. 3: et *de Fin.* I. 5; 7; V. 2; 15: et *de N. D.* II. 18: et *de Div.* I. 24: et *de Leg.* II. 4: et *de Off.* II. 10. *Nep. Timol.* 1.

Ab.—" Posteaquàm victoria constituta est, *ab* armis*que* recessimus ;—" *Cic. pro Rosc. A.* 6. " Theophrastus verò institutus ab Aristotele . . . , *ab* eodem*que* Aristotele doctus Dicæarchus—" *Id. de Leg.* III. 6. Adde *pro Sext.* 8 : et *pro Deiot.* 14 : et *ad Fam.* XIII. 50 ; XV. 4 : et *ad Att.* XI. 20 ; XV. 22 : et *de Fin.* I. 4 ; 19 ; V. 4 : et *Tusc.* V. 33 : et *de N. D.* II. 12 ; 30 ; 46 : et *de Div.* II. 69 : et *de Off.* II. 4. *Nep. Thrasyb.* 2 : et *Timoth.* 1 : et *Datam.* 6.

Abs.—" Si restituor, etiam minùs videbimur deliquisse ; *abs* te*que* certè, quoniam—" *Cic. ad Att.* III. 15.

Ad.—" Nam, cùm ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, *ad* cœli*que*, quasi cognationis domiciliique pristini, conspectum excitavit." *Cic. de Leg.* I. 9. " Facta hominum observabant, *ad* leges*que* revocabant." *Ib.* III. 20. Adde *Orat.* 8 : et *Topic.* 19 : et *pro Domo* 54 : et *pro Planc.* 41 : et *pro Deiot.* 11 : et *ad Fam.* XII. 17 ; XIII. 14 : et *ad Att.* VI. 5 ; IX. 18 ; XIV. 7 : et *de Fin.* III. 21 ; IV. 22 ; V. 9 (bis) : et *Tusc.* V. 41 : et *de N. D.* I. 42 ; II. 55 : et *de Off.* I. 4 ; 20 ; 26 ; 30 ; 39 ; III. 28. *Liv.* XXXVII. 31.

Cum.—" Peracutus, et callidus, *cum* primis*que* ridiculus." *Cic. Brut.* 62.

De.—" Itâque, quoniam quatuor in partes totam quæstionem divisisti, *de* primâ*que* diximus ; consideremus secundam." *Cic. de N. D.* III. 8. Adde *Orat.* 12 : et *ad Att.* XII. 24 : et *de Fin.* V. 5. *Cæs. de B. G.* VII. 1.

Ex.—" Agin regem . . . necaverunt ; *ex* eo*que* tempore tantæ discordiæ secutæ sunt, ut—" *Cic. de Off.* II. 23. Adde *Orat.* 39 ; 54 : et *Partit.* 23 : et *pro Cœl.* 15 : et *ad Fam.* XVI. 12 : et *de Fin.* II. 4 : et *de N. D.* I. 37 ; II. 55 : et *de Div.* II. 42.

In.—" Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, *in* portum*que* salvi pervenerint ? Ita sit, inquit ; illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt, *in* mari*que* perierunt." *Cic. de N. D.* III. 37. Adde *de Orat.* I. 6 : et *Orat.* 2 ; 6 ; 22 (bis) ; 59 : et *Topic.* 20 : et *pro Cluent.* 64 : et *pro Planc.* 41 : et *pro Deiot.* 9 : et *Phil.* XI. 9 ; XIII. 15 : et *ad Fam.* XIII. 10 ; 17 ; 28 : et

ad Att. I. 16; II. 1; XVI. 5: et *Acad.* I. 10; IV. 13; 19: et *de Fin.* I. 1; 6; III. 3; 19; V. 13; 14; 22: et *Tusc.* IV. 1; 18; V. 20: et *de N. D.* II. 21: et *de Leg.* III. 8: et *de Off.* I. 2; 41; II. 9; 18; III. 3. *Nep. Conon.* 1: et *Iphicr.* 2: et *Epam.* 6: et *Hamilc.* 4: *et Hannib.* 3.—Huc refer *in primisque*, infrà n. 45.

Ob.—"*Ob* eum*que* errorem." *Cic. de Fin.* I. 13. "*Ob* eam*que* debilitatem animi." *Ib.* 15. "*Ob* ejus*que* mulieris memoriam." *Ib.* II. 20. Adde *ibid.* I. 14; II. 17; 26; III. 9; 14; 15; V. 15; 18: et *Tusc.* I. 27; 30; II. 16; 23: et *de N. D.* II. 9; 11; 22; 31; 45; *etc.* Sexcenta loca licet adscribere, sed omnia ferè, sicut hæc sunt, uno exemplo, scil. *ob eamque causam* vel *rem.*

Per.—"Quamvis ergo leges bonas vitiosè, *per* vim*que*, tulerit; tamen hæ leges non sunt habendæ." *Cic. Phil.* V. 4. Adde *ad Fam.* XII. 7: et *de Off.* II. 5. *Liv.* XXXIV. 3. *Tacit. Ann.* V. 10.

Post.—"*Post* paucos*que* dies." *Liv.* XXXVI. 21.

Sub.—"*Sub* occasum*que* solis." *Cæs. de B. G.* II. 11.

7. II. Nonnumquam idem fit in dissyllabis:—

Apud.—"*Apud* eos*que*." Cic. pro Planc. 16. "*Apud* quos*que*." Id. de Off. I. 35.

Inter.—"*Inter* nos*que*." Cic. de Orat. I. 1: et ad Fam. VI. 21. "*Inter* se*que*." Id. de N. D. II. 31.

Propter.—"*Propter* se*que*." Cic. de Fin. II. 14.

8. III. Aliquando etiam alibi fit, ut *-que* in secundum locum traducatur.—"Ut jam liceat unâ comprehensione omnia complecti, *non* dubitem*que** dicere, omnem naturam esse conservatricem sui." *Cic. de Fin.* V. 9. "Sed et ægritudinis, et reliquorum animi morborum, una sanatio est:—omnes opinabiles esse, et voluntarios, *eâ* re*que* suscipi, quòd ita rectum esse videatur." *Id. Tusc.* IV. 38. "Velim, . . . enitare, ut supplicatio nobis quàm honorificentissimè, *quàm* primúm*que*, decernatur." *Id. ad Fam.* III. 9. "Peto à te . . . ut tibi ea res curæ sit, operamque des, ut per te quàm commodissimè negotium municipii administretur, *quàm* pri-

* *Non—que*—] Eodem modo utuntur Græci οὐ—τε—. Similiterque licet adhibere *non—ve*—. Cic. de Fin. I. 14.

múm*que* conficiatur." *Ib.* XIII. 11. "Quârè velim... quàm plurima, *quàm* primúm*que*, mittas." *Id. ad Att.* I. 8. —Cum illis autem, *mecum, tecum, secum, quemadmodùm, quoniam, posteà, prætereà, propterea, jamdiu,* fortasse cum id genus aliis, ita conjungitur *-que*, ut cum vocibus compositis.

-Que longiùs projectum poëticè.

9. A poëtis autem *-que* non modò in secundum locum, sed omnino quocumque poscit necessitas metrica, sine ullâ religione submovetur:—

"Meque palam de me tutò malè sæpe loquuntur,
"Forsitan objiciunt exsilium*que* mihi."
Ovid. de Trist. V. 10. 39.

"In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas,
"Ferratam Danaës transsiliam*que* domum."
Propert. II. 16. 11.

—"Labentur opes, ut vulnere nostro
"Sanguis, ut hic ventis diripitur*que* cinis."
Tibull. I. 6. 53.

"Tartareum ille manu custodem in vinc'la petivit;
"Ipsius à solio regis traxit*que* trementem."
Virg. Æn. VI. 395.*

-Que monosyllabis subjunctum.

10. 1. Monosyllabis *-que* parciùs subnectitur.—"Est*que*." Cic. de Orat. II. 86: et ad Fam. II. 6: et ad Att. XI. 4: et de Off. I. 17. "Sunt*que*." ad Att. XVI. 4. "Sit*que*." Orat. 54: et de Leg. II. 21. "Sint*que*." Brut. 31: et de Off. I. 29: et de Amic. 5; 9. "Dat*que*." pro Planc. 6. "Dant*que*." de Fin. V. 15. "Tres*que*." Brut. 89. "Jus*que*." pro Rosc. A. 3. "Spe*que*." pro Arch. 12. "Sors*que*." pro Lig. 8. "Plus*que*." in Verr. III. 57: et Acad. IV. 5: et de Leg. III. 14. "Tot*que*." in Verr. V. 44. "Spem*que*." ad Fam. XII. 8. "Rex*que*." ibid. XV. 4. "Laus*que*." ibid. 10. "Lex*que*." ad Att. IV. 1. "Mens*que*." de Leg. II. 4. Adde vis*que*, vim*que*, vi*que*; res*que*, rem*que*, re*que*; passim.

* *Tartareum ... petivit; Ipsius* etc.] Hanc distinctionem benè restituit Heinsius, quem sequutus est Burmannus; cùm vulgò referantur illa "ipsius à solio regis" ad verbum "petivit." Ruæus autem medium cursum tenet, et locum rectè distinguit, malè interpretatur.

11. II. Præsertim in *c* desinentibus.—"Sic*que*." Cic. de L. Agrar. II. 21. "Nunc*que*." Cæs. de B. G. VI. 23. "Tunc*que*." Tacit. Ann. VI. 1.

12. III. Pronominibus autem monosyllabis sæpius subjicitur *-que*, quàm ut res exempla poscere videatur: excipe tamen casus monosyllabos singularis numeri pronominis *hic*, utpote in *c* desinentes.

13. IV. Cum illis præpositionibus quoque monosyllabis conjungitur sæpiuscule :—

De.—Cic. Brut. 80: et Orat. 61: et ad Att. XI. 7; 17; XIII. 12; XVI. 11: et de Fin. II. 18; V. 6; 15: et de Leg. III. 20.

E.—Cic. ad Brut. 5.

Ex.—Cic. Phil. III. 15; V. 13; X. 11: et de Off. I. 34.

In.—Cic. de Orat. I. 28: et pro Rosc. A. 39: et pro Sext. 18: et Tusc. III. 12. Auct. ad Herenn. II. 27. Cæs. de B. G. V. 36.

Per.—Cic. de N. D. II. 55.

Pro.—Cic. de Orat. II. 18: et ad Fam. XI. 16; XV. 12. —Vide infrà n. 16.

-Que in geminationibus.

14. I. Geminatis verbis *-que* lubentissimè adhæret.— "Causam . . . in *magnâ* varietate, *magnâque* invidiâ . . . obtinebamus." *Cic. ad Fam.* I. 4. "Magnitudinemque animi tui, quam ego *semper* sum admiratus, *semperque* amavi." *Ib.* 7. "Hæc profectò vides, *quantò* expressiora, *quantóque* illustriora, futura sint, cùm—" *Ibid.* "In *tantâ* felicitate, *tantisque* victoriis." *Ib.* 9. "A *summâ* virtute, *summoque* ingenio exspectanda." *Ib.* II. 3. Exempla sunt passim obvia.

15. II. Longè autem elegantissimæ, rarissimæ tamen, sunt illæ geminationes, in quibus prius quodque membrum in id verbum desinit, à quo iterato incipit alterum.—"Quàm verò aptas, quámque multarum artium ministras, manus natura homini dedit! digitorum enim contractio *facilis*,

facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus, nullo in motu laborat." *Cic. de N. D.* II. 60. "Ego verò eas defendam *semper*, *semperque* defendi." *Ib.* III. 2. "Ostreisque et conchyliis omnibus contingere, ut cum lunâ crescant *pariter*, *pariterque* decrescant."* *Id. de Div.* II. 14. "Apud Terentiam gratiâ opus est nobis *tuâ*, *tuâque* auctoritate." *Id. ad Att.* XII. 37. "Pauca suprà repetam, quò ad cognoscendum omnia illustria *magis*, *magisque* in aperto, sint." *Sallust. de B. J.* 5.

16. III. Ex particulis monosyllabis, in illis ferè geminatis versatur *-que; qui, cùm, quòd, ut, tam, quàm, de, in, per, pro.* Præpositionum fortasse exempla requiras:—

De—, deque—. Cic. de Orat. I. 7: et Topic. 25: et in Catil. IV. 11: et Phil. III. 4: et ad Fam. XI. 21; XIII. 41: et Acad. IV. 48: et de N. D. III. 7.

In—, inque—. Cic. in Verr. IV. 51.

Per—, perque—.† Sall. Jug. 58 et 71.

Pro—, proque—. Cic. pro Rosc. A. 51: et pro Arch. 11: et in Catil. IV. 11: et ad Fam. V. 20; VI. 22; XIII. 7; 44; 72; 74: et de N. D. III. 40.

-Que communi verbo adjectum.

17. Communi autem verbo,—sive potiùs, verbo, quod in secundo membro alicujus conjunctionis ita positum sit, ut intelligi possit, idem in priore esse subaudiendum, subnexum *-que* vix reperias: in solutâ oratione videlicet.—Duo modò

* *Ut cum lunâ crescant pariter, pariterque decrescant.*] Hanc collocationem verborum profert Nizolius in *Conchylium, Ostrea, Pariter;* pro vulgatâ, "ut cum lunâ *pariter crescant, pariterque decrescant:*" et, geminatio si Ciceroniana est, Ciceroniana etiam collocatio. Cùm autem apud eumdem Nizolium in *Cresco, Decresco, Luna,* videam *pariter* illud prius abesse, inclinat animus, ut arbitrer etiam rectè id abesse. Et hoc quidem vel ex illâ vulgatâ collocatione verborum erat conjiciendum: absit enim, ut credat quis, in concinnitatem M. Tullium fuisse peccaturum; nec multò faciliùs credendum est, ipse auctor si dedisset "ut cum lunâ crescant *pariter, pariterque* decrescant," quemquam omnis humanitatis tam expertem fuisse exstiturum, qui collocationem venustissimam sollicitaret. Ad illam autem structuram quod attinet, "ut cum lunâ crescant, *pariterque* decrescant," vide, sîs, n. 17. infrà.

† *Per—, perque—* licet etiam adverbialiter usurpare. *Cic. de Orat.* I. 47:—"Nobis verò, inquit Sulpicius, ista sunt *per*grata, *pérque* jucunda." Adde *ad Q. Fr.* III. 1. 4.

exempla mihi sunt in promtu. *Cic. Phil.* v. 19:—"De exercitu autem C. Cæsaris ita censeo decernendum: Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæsaris, pontificis, *auctoritatemque* hujus ordinis, defenderint, atque defendant, his, liberisque eorum, militiæ vacationem esse." Id est, Qui Cæsaris *auctoritatem*, *auctoritatemque* hujus ordinis, defenderint. *Id. ib.* VIII. 7:—"Ante consulis, *oculosque* legatorum,* tormentis Mutinam verberavit." Id est, Ante consulis *oculos*, *oculosque* legatorum.—Huc lubenter referrem illud ejusdem, *de Div.* II. 14. "Ut cum lunâ crescant [pariter], *pariterque* decrescant," deleto priore *pariter:* vide suprà n. 15.

Poëtæ autem, *Horatius*† quidem certè et *Tibullus*, ad hanc structuram sæpissime confugiunt; haud scio enim, an nihil aliud sit res, nisi laborantium perfugium:—

——— ——— "Sed idem
"Pacis eras, *mediusque* belli." *Hor. Od.* II. 19. 27.
"Ore pedes, *tetigitque* crura." 32.
"Moribus hic, *meliorque* famâ." III. 1. 12.
"Ludo, *fatigatumque* somno." 4. 11.
"Prô curia, *inversique* mores!" ‡ 5. 7.
"Orbis ut cantus, *referatque* ludos." *Carm. Sec.* 22.
"Dî benè fecerunt, inopis me, *quódque* pusilli,
"Finxerunt animi." *Serm.* I. 4. 17.
— "Sapiens, vitatu, *quidque* petitu,
"Sit melius, causas reddet tibi." 115.
—"At hic, si plaustra ducenta,
"*Concurrantque* foro tria funera, magnà sonabit,
"Cornua quod, *vincatque* tubas." 6. 42.
"Insanum te omnes pueri, *clamentque* puellæ."
II. 3. 130.

* *Ante consulis, oculosque legatorum.*] Hunc locum infeliciter sollicitavit doctissimus Ernesti. "Nullo modo," inquit, "verum esse potest: quomodo enim copula in *oculosque* locum habere potest, si *consulis* legas?" Itáque edidit *ante consulem, oculosque legatorum:* quod miserè friget. Et, quomodò fieri potuerit, ut nec Ciceronis emendatori exemplum Ciceronianum illud prius in mentem venerit, nec viro doctissimo, in reque grammaticâ acutissimè versato, modus loquendi duobus ex optimis poëtis planè usitatus, omnino intelligere non possum.

† Hanc formulam arbitror Horatium à *Pindaro* adscivisse:—Vid. *Olymp.* VI. 72. et *Pyth.* VI. 15. et *Nem.* IX. 32.

‡ *I. e.*, Prô curia *inversa*, *inversique* mores! Rarissimè autem fit, ut accidentia omissi verbi, et positi, inter se discrepent.

"In cicere atque fabâ bona tu, *perdasque* lupinis." 182.
— "Monitus, *multúmque* monendus." *Epist.* I. 3. 15.
— "Licuit, *semperque* licebit." *A. P.* 58.
"O, quantum est auri potiùs, *pereatque* smaragdi." *Tibull.* I. 1. 55.
"Hîc jacet, immiti consumtus morte, Tibullus,
"Messalam terrâ dum, *sequiturque* mari." 3. 55.
"Huc ades, et centum ludis, *geniumque* choreis,
"Concelebra." 7. 49.
"Sed Veneris tunc bella calent; scissosque capillos
"Femina, perfractas *conqueriturque* fores." 10. 53.
"Nec fore credebat Romam, quum mœstus ab al to
"Ilion, ardentes *respiceretque* deos." II. 5. 21.
"Dolia dum, magni *deficiantque* lacus." 86.
"Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas
"Ilicet, exstinctas *adspiciamque* faces!" 6. 15.

Atque hîc lubet mihi annotare, illustrandi causâ, idem nonnumquam fieri in illis quoque encliticis, *-ne, -ve:* Vid. *Horat. Serm.* I. 8. 2: et II. 3. 242.

18. Denique, ut de specialibus hujusmodi absolvam, nonnumquam fit, ut nominativus verbi in secundo membro, ex nomine aliquo *obliquo* in priore, sit intelligendus; contra integritatem rei grammaticæ videlicet:* nec enim quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid tale *Virgilius, Livius, Tacitus,* admiserint, idem sibi arbitretur licere. "Magnis illi et divinis bonis hanc licentiam assequebantur."—Sic *Virg. Æn.* VI. 283:—"Quam sedem *Somnia* vulgò Vana tenere ferunt, foliis*que* sub omnibus *hærent.*" Nimirùm, Latinitas postulat *hærere.*—*Livio* autem hoc planè usitatum est:—"*Voleronem* . . . plebs tribunum plebi creat, . . . contra*que* omnium opinionem . . . rogationem *tulit* ad populum, ut—" II. 56. "Contemni cœpti erant à finitimis *populis;* imperium*que* ibi esse, ubi non esset libertas, *indignabantur.*" III. 38. "Quum potestas major, tum vir quoque potestati par, *hostes* ex agro Romano trans Anienem submovêre; colles*que* inter Fidenas atque Anienem *ceperunt,* referentes castra." IV. 17. "Notus jam *Romanis* apparatus insignium

* Hoc vitium, etiam in linguâ Anglicanâ insidens, meritò reprehendit *Lowth* in opusculo illo celeberrimo,—"*A short introduction to English grammar: with critical notes.*"

armorum fuerat, doctique à ducibus *erant*, etc." IX. 40. "Donec pudor etiam *Hannibalem* ab incepto avertit; castrisque communitis, ac præsidio modico imposito, ne omissa res videretur, in hiberna Capuam *concessit*." XXIII. 18. Quibus in locis omnibus ponendum erat *isque*, vel *qui*: aut prius quodque membrum aliâ quâ ratione erat concinnandum; *e. g.*, in illo, IX. 40. pro "Notus jam Romanis apparatus insignium armorum fuerat," satis commodè scribi poterat, *Nôrant jam Romani apparatum insignium armorum.*—Itemque *Tacitus* in hâc re nimis crebrò offendit: Vide illius *Annal.* I. 51; II. 14; III. 6; VI. 35.—Adde *Nep. Epam.* 10.—Atque, etsi hæc res omnino frequentiùs fit in *-que*,—ob eam causam scilicet, quòd hæc copula, propter encliticam naturam, bina membra inter se tam facilè tamque suaviter conjungit, vitium ut grammaticum non ita nudum exsistat,—nescio, an et reliquarum copularum exempla possis reperire. Exemplum τοῦ *atque* mihi est in promtu: *Liv.* XXII. 6:—"Quæ Punicâ religione servata fides ab *Hannibale* est, *atque* in vincula omnes *conjecit*." Similiterque idem adhibuit *et* l. XXXIII. c. 28.

-*Que* augentis.

19. "Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato,—dixit*que* in turbulentâ concione, quæ tamen hujus auctoritate placata est,—non libertate solùm, sed etiam omnibus præmiis, dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent." *Cic. pro Mil.* 22. "Hunc igitur qui Galliâ prohibet, privato præsertim consilio, judicat, verissimé*que* judicat, non esse consulem." *Id. Phil.* III. 5. "Gratulor tibi, mi Balbe, veré*que* gratulor." *Id. ad Fam.* VI. 12. "Hoc quidem adscensu, inquit, vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint: vos et decem numero, et, quod plus est, Romani, Romanorum*que* fortissimi viri, estis." *Liv.* IX. 24. [Vide suprà c. I. n. 3. et c. II. n. 2.]

-*Que* explanantis.

20. "Diodorus, ejus auditor, adjungit ad honestatem vacuitatem doloris. Hic quoque suus est; de summo*que* bono dissentiens, dici verè Peripateticus non potest." *Cic. de Fin.* V. 5. "Sed, quoniam (ut præclarè scriptum est à Platone) non nobis solùm nati sumus, ortûs*que* nostri partem patria vindicat, partem amici;—" *Id. de Off.* I. 7. "Et, quoniam

officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, alia*que* sunt juvenum, alia seniorum; aliquid etiam de hâc distinctione dicendum est." *Ib.* 34. "Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semper*que* sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda, duxerunt." *Id. pro Planc.* 4. "Neque enim ego illa, nec ulla umquam, secutus sum arma civilia; semper*que* mea consilia pacis et togæ socia, non belli atque armorum, fuerunt." *Id. pro Marcell.* 5. "Non respuit conditionem Cæsar: jam*que* eum ad sanitatem reverti arbitrabatur, quum id, quod anteà petenti denegâsset, ultro polliceretur." *Cæs. de B. G.* I. 42. "Agriculturæ non student: major*que* pars victûs eorum in lacte, et caseo, et carne, consistit." *Ibid.* VI. 21. "Quin etiam bono fuisse Romanis adventum eorum constabat; orientem*que* jam seditionem inter Patres et plebem metu tam propinqui belli compressam." *Liv.* VII. 12. "Publicè supplicem non prodidit, monuit*que*, ut consuleret sibi." *Nep. Themist.* 8. [Vide suprà c. I. n. 5. et c. II. n. 6.]

-*Que* discretivum.

21. "Idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, iisque, cùm è corpore excessissent, reditum in cœlum patere, optimo*que* et justissimo cuique expeditissimum." *Cic. de Amic.* 4. "Hic quum multa regi esset pollicitus, gratissimum*que* illud, si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum;—" *Nep. Themist.* 10. "Abi, nuntia publicè Patribus, urbem Romanam muniant, ac priùs, quàm hostis victor adveniat, præsidiis firment; privatim*que* Q. Fabio, L. Æmilium præceptorum ejus memorem et vixisse, et adhuc mori." *Liv.* XXII. 49. "Tabernaculum regium pro vallo, in conspecto maximè tumulo, ut terrorem hostibus, suis*que* spem ex fiduciâ, faceret, positum." *Id.* XXXII. 5.—Huc pertinet illud *Virgilii*, *Æn.* III. 315:—"Vivo equidem, vitam*que* extrema per omnia duco." quem ad locum ita Servius:—"Hoc cum patho legendum est: ac si diceret, *si tamen vita est infeliciter vivere.*" Itemque illud ejusdem, *ibid.* V. 570:—"Extremus, formâ*que* ante omnes pulcher, Iulus." hoc est, Extremus ille quidem, ("*quantum ad numerum spectat*," Servius.) formâ verò ante omnes pulcher, Iulus.—Eódem refer argutiolam illam *Taciti, Hist.* III. 25:—"Factum esse scelus loquuntur, faciunt*que*." [Vide suprà c. II. n. 7.]

-*Que* in transitione.

22. In transitione -*que* parciùs adhibetur.—" Videndum*que* hoc loco est, ne—" *Cic. de Orat.* II. 51. " In omnibus*que* rebus videndum est, quâtenùs." *Id. Orat.* 22. " Adhibenda*que* frequentiùs etiam illa ornamenta rerum sunt :—" *Id. Partit.* 21. " In primis*que* hominis est propria veri inquisitio, atque investigatio." *Id. de Off.* I. 4. " Veta*que* Pythagoras, injussu imperatoris, id est, dei, de præsidio et statione vitæ decedere." *Id. de Senect.* 20. Adde *de Leg.* II. 11; 12.—Huc pertinet *jamque*, poëticis in transitionibus, mutationibusque cùm temporum, tum etiam locorum, exordium usitatissimum : *Virg. Æn.* III. 135; 521; 588; VII. 25; 160; IX. 25; X. 215; XI. 100. [Vide suprà c. I. n. 7.]

-*Que* in conclusione.

23. Etiam in conclusione adhibitum -*que* apud *Tacitum* reperitur.—" Is*que* finis rei; ex quâ neque Piso inglorius, et Cæsar majore famâ, fuit." *Ann.* II. 34. " Is*que* Treverici tumultûs finis." III. 42. " Is*que* finis armis impositus." IV. 25. [Vide suprà c. I. n. 8.]

-*Que* pro *etiam* vel *quoque*.

24. " Nam, quum matrem meam parentis loco venerere, me*que* à pueritiâ statim formare . . . solebas." *Plin. Epist.* IV. 19. Plura exempla congessit Forcellinus : in quibus tamen omnibus, sicut et in illo, monuit idem dubiam esse lectionem. *Hôdiéque* autem pro *hôdiè quoque* apud Plinium et alios sæpiùs reperitur, quàm ut credendum videatur, toties in uno verbo esse peccatum. Ceterùm, res est omnino fugienda.

-*Que* pro *maximéque*.

25. " Sed mare pigrum et grave remigantibus : perhibent, ne ventis quidem perinde attolli; credo, quòd rariores terræ montes*que*, causa ac materia tempestatum." *Tacit. Agric.* 10.—Hâc ferè ratione, personæ gravitatem significat -*que* in illo *Virgilii, Æn.* VII. 535 :—

" Corpora multa virûm circà, senior*que* Galæsus,
" Dum paci medium se offert :—"

quem ad locum annotavit Servius :—" Rhetoricè viles trudit

in medium: nobiles verò primo et ultimo commemorat loco."

-*Que* pro *vicissimque* (infrà n. 57).

26. "Igitur Antonius, ubi noscere suos, nosci*que*, poterat;—" *Tacit. Hist.* III. 24. "Ibi quum dies aliquot, suspecti Campanis, timentes*que*, cavendis ac struendis invicem insidiis traduxissent;—" *Liv.* XXIII. 17. "Multos ei molestos fore, ipsum*que* multis." *Cic. ad Fam.* IX. 6. "Ut dandis recipiendis*que* meritis, quod quisque minùs per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet." *Id. de Amic.* 8. [Vide suprà c. II. n. 51.]

-*Que* pro *propterea*que.

27. "Scilicet extrema et plana terrarum, humili umbrâ, non erigunt tenebras, infra*que* cœlum et sidera nox cadit." *Tacit. Agric.* 12.

-*Que* pro *continuó*que.

28. -*Que* pro *continuó*que poëticum est:—

"Hæc Phœbus: mixto*que* ingens exorta tumultu
"Lætitia." *Virg. Æn.* III. 99.
"Hector ubi est? dixit, lacrymas*que* effudit." *Ib.* 312.
—"Dixit, vaginâ*que* eripit ensem." *Ib.* IV. 579.

Nonnumquam verò etiam apud historicos in oratione solutâ illâ quidem, sed tamen epico quodam spiritu inflatâ, eamdem vim hujusce copulæ adgnoscas.—"Datur signum, infestis*que* armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt." *Liv.* I. 25. "Donec Insuber eques (Ducario nomen erat) facie quoque noscitans, 'Consul, en,' inquit, 'hic est,' popularibus suis, 'qui legiones nostras cecidit, agrosque et urbem est depopulatus. Jam ego hanc victimam manibus peremtorum fœdè civium dabo:' subditis*que* calcaribus equo, per confertissimam hostium turbam impetum facit; *etc.*" Id. XXII. 6. "Pòst quàm in conspectum venêre, 'Provoco te,' inquit, 'ad pugnam, Crispine,' Badius: 'conscendamus equos, summotisque aliis, uter bello melior sit, decernamus.' Ad ea Crispinus, 'Nec sibi, nec illi,' ait, 'hostes deesse, in quibus virtutem ostendant: se, etiamsi in acie occurrat, declina-

turum, ne hospitali cæde dextram violet:' conversus*que* abibat." *Id.* XXV. 18. [Vide suprà c. II. n. 52.]

-Que pro *cùm.*

29. " Vix ea fatus erat senior, subito*que* fragore
" Intonuit lævùm." *Virg. Æn.* II. 692.

[Vide suprà c. II. n. 53.]

Isque.

30. I. Augentis :—" In primis nobis sermo, *isque* multus, de te fuit." *Cic. ad Att.* V. 1. " Multa prætereo, *eaque* præclara." *Id. Phil.* I. 1. " Qui chirographa Cæsaris defendisset lucri sui causâ, is leges Cæsaris, *easque* præclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit." *Ib.* II. 42. " Quorum habetis cognitam voluntatem in rempublicam, *eamque* perpetuam atque constantem." *Ib.* XIII. 6. " Unam rem explicabo, *eamque* maximam." *Id. de Fin.* I. 8. " Sed, quoniam dant aliquid, *idque* non parvum, vaticinationes cum somniis ; nihil est, quòd cum his magnoperè pugnemus." *Id. de Div.* I. 50. Adde *ad Fam.* XI. 27. [Vide suprà c. I. n. 18. et c. II. n. 56.]

31. II. Minuentis :—" Judicium,. . . unâ sententiâ, *eâque* dubiâ, potentiæ alicujus condonatum." *Cic. ad Fam.* V. 18. " Auctionis verò miserabilis adspectus :—vestis Pompeii non multa, *eaque* maculosa ; *etc.*" Id. Phil. II. 29. " Sin hominibus tantum licere judicas, quantum possint ; vide, ne alienis exemplis, *iisque* recentibus, uti, quàm et antiquis et domesticis, malle videare." *Ib.* XIII. 7. [Vide suprà c. II. n. 57.]

32. III. Declarantis :—" Graves ejus conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, *eæque* omnes ex reipublicæ contentione susceptæ." *Cic. Brut.* 79. " Excursio moderata, *eaque* rara." *Id. Orat.* 18. " Cursus est certus ætatis, et una via naturæ, *eaque* simplex." *Id. de Senect.* 10. " Sed, quis ego sum ? aut, quæ in me est facultas ? doctorum est ista consuetudo, *eaque* Græcorum, ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subitò." *Id. de Amic.* 5. " Una domus erat, idem victus, *isque* communis." *Ib.* 27.

33. IV. *Idque* (subintellecto *facere*) exprimit ferè Græcorum καὶ ταῦτα.—" Esse hominis ingenui, et liberaliter educati, velle benè audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris, *idque* propter rem ipsam, non propter usum." *Cic. de Fin.* III. 17. "Quamquàm te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, *idque* Athenis, abundare oportet præceptis institutisque philosophiæ;—" *Id. de Off.* I. 1. " Cum hoc, Patres Conscripti, bello—bello, inquam—decertandum est, *idque* confestim." *Id. Phil.* V. 12. " Verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, *idque* per biduum." *Ib.* XI. 2. " Quæris igitur, *idque* jam sæpius,—" *Id. Orat.* 1. " Aliquando, *idque* serò." *Ib.* 48. " Ego autem illos ipsos laudo, *idque* meritò." *Ib.* 51. " Tu quidem de fæce, inquit, hauris, *idque* jamdudum." *Id. Brut.* 69. " Marcellum tuum consulem factum, teque eâ lætitiâ affectum esse, quam maximè optâsti, mirandum in modum gaudeo: *idque* cùm ipsius causâ, tum quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico." *Id. ad Fam.* XV. 8. Adde *ibid.* X. 14: et *ad Att.* XVI. 14. et *Horat. Serm.* I. 4. 73. [Vide suprà c. I. n. 19. et c. II. n. 58.]

34. V. Nonnumquam autem *idque* ita ab usitatâ formulâ recedit, in particulæque naturam abit, ut constructio, non verbo *facere*, sed aliâ quâ ratione, sit explenda.—*Cic. ad Fam.* XIII. 16:—" Doctum igitur hominem cognovi, et studiis optimis deditum, *idque* à puero." Hoc est, idque à puero πεπονθότα (*itáque à puero affectum*).

35. VI. *Isque vel* cum superlativis.—" Quartam causam esse, *eamque vel* maximam, æquabilitatem motûs." *Cic. de N. D.* II. 5. " Esset autem quoddam genus eorum, *idque vel* maximè ingenuum, qui—" *Id. Tusc.* V. 3. " Cùm alii laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, *idque vel* maximum, nisi belli civilis incendium salute patriæ restinxeris." *Id. pro Marcell.* 9.

Idemque.

36. I. Augentis:—" Tamen, quando ego vir fortis, *idemque* philosophus, vivere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cujus beneficio id consecutus sum." *Cic. ad Fam.* IX. 17. " Igitur illi certissimi, *iidemque* acerrimi, Cæsaris actorum patroni, pro D. Bruti salute bellum ge-

runt." *Id. Phil.* x. 8. "Quorum princeps M. Cato, *idemque* omnium gentium virtute princeps." *Ib.* xiii. 14. Adde *Brut.* 56; 58: et *de N. D.* iii. 32: et *de Div.* i. 18; ii. 42: et *ad Fam.* xiii. 7. *Memm. ap. Sall. de B. J.* 31. *Nep. Conon.* 2. [Vide suprà c. i. n. 23. et c. ii. n. 59.]

37. ii. In continuationibus *idemque* sæpe declarat *et simul* vel *prætereà.*—"Diuturni silentii, Patres Conscripti, quo eram his temporibus usus, . . . finem hodiernus dies attulit; *idemque* initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi." *Cic. pro Marcell.* 1. "Tenebam memoriâ, . . .: *idemque* memineram,—" *Id. ad Fam.* i. 9.

38. iii. Discretivam aliquando vim sibi adsciscit.—"Ego sum, qui nullius vim plùs valere volui, quàm honestum otium: *idemque*, cùm illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quàm illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram; quâvis tutâ conditione pacem accipere malui, quàm viribus cum valentiore pugnare." *Cic. ad Fam.* v. 21. "Tu quidem sedulò argumentaris, quid sit sperandum, et maximè per senatum: *idemque* caput rogationis proponi scribis, quâre in senatu dici nihil liceat." *Id. ad Att.* iii. 12. Adde *ibid.* iv. 1: et *pro Rosc. A.* 52. *Nep. Epam.* 10. [Vide suprà c. i. n. 24. et c. ii. n. 61.]

Eóque magis.

39. i. *Eóque magis, quòd*—. "Commodissimum duxi, dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere: *eóque magis, quòd* ei gratum esse id videbam." *Cic. ad Att.* v. 6. "Scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiam: *eóque magis, quòd* non confidebam Romæ te esse." *Ib.* 8. "Qui ut sint, quod fieri posse video, pudici, solliciti tamen et anxii sunt: *eóque magis, quòd* se ipsi continent, et coërcent." *Id. Tusc.* iv. 33. Adde *de Off.* iii. 22: et *de Amic.* 2: et *ad Fam.* xiii. 43: et *ad Att.* x. 11; xi. 21; xii. 48. *Nep. Milt.* 5. [Vide suprà c. i. n. 30. et c. ii. n. 65.]

40. ii. *Eóque magis, si*—. "Ego enim, ut agitator callidus, priùs quàm ad finem veniam, equos sustinebo; *eóque magis, si* locus is, quo ferentur equi, præceps erit." *Cic. Acad.* iv. 29. "Atque id in magnis animis ingeniisque plerúmque contingit; *eóque magis, si* sunt ad rem militarem

apti, *etc.*" Id. de Off. I. 22. "Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant: *eóque magis, si* habere se putant, quod officiosè, et amicè, et cum labore aliquo suo, factum queant dicere." *Id. de Amic.* 20. Adde *ad Att.* XVI. 3.

41. III. Eadem formula, antecedente negatione:—"Si verò inest in oratione mixta modestiæ gravitas, *nîl* admirabilius fieri potest; *eóque magis, si* ea sunt in adolescente." *Cic. de Off.* II. 14.

Eóque minùs.

42. "Hôc autem tempore, quod scriberem, nihil erat; *eóque minùs*, quòd dubitabam, tu has ipsas literas essesne accepturus." *Cic. ad Att.* XV. 9. "Reprimam jam, et non insequar longiùs; *eóque minùs*, quò plus pœnarum habeo, quàm petivi." *Id. de Leg.* II. 17. [Vide suprà c. I. n. 31. et c. II. n. 70.]

Maximéque et *-que maximè.*

43. "Remove perturbationes, *maximéque* iracundiam." *Cic. Tusc.* IV. 24. "Quæ ratio poëtas, *maximéque* Homerum, impulit, ut—" *Id. de N. D.* II. 66. "Me quidem, etsi..., tamen multa jam consolantur, *maximéque* conscientia consiliorum meorum." *Id. ad Fam.* IV. 3. "Hæc una res in omni libero populo, *maximéque* in pacatis tranquillisque civitatibus, præcipuè semper floruit." *Id. de Orat.* I. 8. "Ceteris enim bellis, *maximéque* civilibus, contentionem reipublicæ causa faciebat." *Id. Phil.* VIII. 2. "Missus à senatu ad animos regum perspiciendos, liberorumque populorum, *maximéque* ut nepotem Antiochi...classes habere, elephantos alere, prohiberet." *Ib.* IX. 2. "Nostræ sunt legiones, nostra levis armatura, noster equitatus, *maximéque* noster est Brutus." *Ib.* X. 6. Adde *Manil.* 9: et *Partit.* 8; 16 (ter); 23; 26; 27: et *Acad.* I. 4; 12: et *de Fin.* I. 18; V. 19: et *de Leg.* II. 13: et *de Off.* I. 18: et *de Amic.* 14: et *ad Fam.* XI. 12; XII. 30; XV. 13: et *ad Att.* V. 21; VI. 9; VII. 12 (bis).—Post negationem:—"*Nolo* in stellarum ratione multus vobis videri, *maximéque* earum, quæ errare dicuntur." *Cic. de N. D.* II. 46.—"Cùm persuasum omnibus esset, mihi*que maximè*, à te nos unicè diligi." *Cic. ad Fam.* XI. 21.

"Incredibile est, quàm me in omni genere delectârit; in eo*que maximè*, in quo minimè satisfaciebat." *Id. ad Att.* XVI. 5. "Quod video placuisse physicis, iis*que maximè*, qui—" *Id. de Div.* II. 14. [Vide suprà c. I. n. 32. et c. II. n. 72.]

Miniméque.

44. "Non est viri, *miniméque* Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturæ debeat, patriæ reddere." *Cic. Phil.* X. 10.

In primisque et *-que in primis.*

45. "Commendoque tibi ejus omnia negotia, . . . *in primisque*, ut, quæ T. Ampius de ejus re decrevit, ea comprobes, *etc.*" Cic. ad Fam. I. 3. "Neque enim fuit, quod tu plùs providere posses, quàm quivis nostrûm, *in primisque* ego, qui—*etc.*" Ib. II. 8. "Ego res Romanas vehementer exspecto et desidero: *in primisque*, quid agas, scire cupio." *Ib.* 14. "Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, *in primisque* hâc, in quâ ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat." *Ib.* IV. 3. Adde *de Fin.* I. 2; III. 20; IV. 7; V. 2: et *de Off.* I. 4; 30; 37; II. 11; 24: et *de Orat.* I. 47: et *Topic.* 17: et *ad Fam.* X. 1; XIII. 9; 23: et *ad Att.* X. 17; XI. 7.—"Cupio te ædilem videre, miroque desiderio me urbs afficit, et omnes mei, tu*que in primis.*" Cic. ad Fam. II. 13. [Vide suprà c. I. n. 33. et c. II. n. 73.]

Præcipuéque.

46. "Tum Caria tota, *præcipuéque* Telmesses . . . in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt." *Cic. de Div.* I. 42. "Hîc quis potest esse . . . tam mente captus, qui neget, hæc omnia, quæ videmus, *præcipuéque* hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari?" *Id. in Catil.* III. 9. "Est enim hæc conditio liberorum populorum, *præcipuéque* hujus principis populi, et omnium gentium domini ac victoris, posse suffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit, cuique." *Id. pro Planc.* 4. [Vide suprà c. II. n. 74.]

-Que etiam.

47. *-Que etiam* rarum est, probum tamen.—"Quâ in

urbe primùm se orator extulit, primúm*que etiam* monumentis et literis oratio est cœpta mandari." *Cic. Brut.* 9. " Cùm et Philus et Manilius adessent, et alii plures, tu*que etiam*, Scævola, mecum venisses, triduum disseruit de republicâ." *Id. de Amic.* 4. " Adhibenda*que* frequentiùs *etiam* illa ornamenta, *etc.*" Id. Partit. 21. " Sperabam*que etiam*,—" Id. ad Fam. x. 14.—Sæpe autem post *-que* ponitur *etiam* cum emphasi, sed tum re verâ cum eo nihil habet conjunctionis. " Cùm se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eam*que etiam* majorem visum iri, si—" *Cic. Brut.* 24. Adde *ibid.* 54: et *Tusc.* III. 31: et *de Leg.* II. 2: et *ad Att.* VI. 1.

Itemque et *-que item.*

48. " Solis defectiones, *itemque* lunæ, prædicuntur." *Cic. de Div.* II. 6. " Constans et perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, *itemque* inconstantia, quod est vitium, suâ naturâ probatur." *Id. de Leg.* I. 17. " Placuit P. Scævolæ, et Coruncanio, pontificibus maximis, *itemque* ceteris, qui—" *Ib.* II. 21. " Enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, . . . *itemque* incommoda contrariorum." *Id. de Orat.* II. 82. Adde *Phil.* I. 9; III. 15: et *Acad.* IV. 8 (bis); 17: et *de Fin.* III. 7; 14; 15 (bis); 19; IV. 8; 14: et *Tusc.* IV. 6; 13: et *de Div.* I. 41; 43; 45: et *de Leg.* II. 18 (bis): et *de Off.* I. 12; 24; 30; III. 5 (bis).—" Initiis igitur ita constitutis, ut ea, quæ secundùm naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint, contraria*que item* rejicienda;—" *Cic. de Fin.* III. 6. " Te, mi Curio, pro tuâ incredibili in me benevolentiâ, meâ*que item* in te singulari, rogo atque oro—" *Id. ad Fam.* II. 7. Adde *Orat.* 22. et *Cæs. de B. G.* II. 1; III. 9. [Vide suprà c. II. n. 78.]

Prætereâque et *-que prætereà.*

49. " Erat enim cùm institutus optimè, tum etiam perfectè planéque eruditus: ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia: *prætereâque* sine arrogantiâ gravis esse videbatur, et sine segnitiâ verecundus." *Cic. Brut.* 81.—" Qui et accuratè dicebat, et satis copiosè: erat*que prætereà* doctus Hermagoræ præceptis." *Cic. Brut.* 78. " Quo illa pretio accepto, multis*que prætereà* muneribus,—" *Id. pro Cluent.* 12. " Pro me præsente senatus,

hominum*que prætereà* viginti millia vestem mutaverunt." *Id. ad Quir. p. r.* 3. " Qui verò duo lauta et copiosa patrimonia accepisset, rem*que prætereà* bonis et honestis rationibus auxisset; quid esset tandem causæ, cur existimari vellet nihil habere?" *Id. pro Rab. Post.* 14. " Ex ipsius*que prætereà* gratissimis et humanissimis moribus confirmo tibi, te eum, quem soles fructum à bonorum virorum officiis exspectare, esse capturum." *Id. ad Fam.* XIII. 22. " Cum maximis Parthorum copiis, multarum*que prætereà* gentium magnâ manu." *Ib.* XV. 3. " Nam et ipse Domitius bona planè habet dicrota: sunt*que* navigia *prætereà* luculenta Sextii, *etc.*" Id. ad Att. XVI. 4. " Scipionem, Lælium, multos*que prætereа.*" Id. de N. D. II. 66. [Vide suprà c. II. n. 79.]

Prætérque.

50. *Prætérque* pro *prætereáque* est sequioris ætatis.— " Vera ut fiat vulgi opinio, quidquid nascatur in parte naturæ ullâ, et in mari esse, *prætérque* multa, quæ nusquam alibi." *Plin.* IX. 2. Adde III. 2 (3): IV. 13 (27): V. 1; 29 (31): VIII. 42 (67): IX. 39 (64): X. 35 (52): XI. 4 (3); 26 (31); 37, bis (60; 84): *etc.*

Simulque et *-que simul.*

51. " Si quis est, qui neminem bonâ fide in gratiam putet redire posse; non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam: *simulque* non de me is pejùs, quàm de te, existimat." *Cic. ad Fam.* III. 8. " Magnitudo animi...: cujus est liberalitas, in usu pecuniæ; *simulque* altitudo animi, in capiendis incommodis, et maximè injuriis." *Id. Partit.* 22. " *Simulque* illud reputate, *etc.*" Tacit. Ann. III. 12. Adde *Sall. Jug.* 52; 101. *Nep. Dion.* 2: et *Epam.* 9: et *Phoc.* 1: et *Hannib.* 2; 7. *Cic. in Vatin.* 9: et *ad Att.* XIV. 22.—" Horum omnium studium, curam, diligentiam, meumque unà laborem, qui..., vestram*que simul,* judices, æquitatem et mansuetudinem, una mater oppugnat." *Cic. pro Cluent.* 70. [Vide suprà c. II. n. 80.]

Unáque et *-que unà.*

52. " Et post hos Polemo, et Crates, *unáque* Crantor, in Academiâ congregati, diligenter ea, quæ à superioribus acceperant, tuebantur." *Cic. Acad.* I. 9.—" Horum omnium

studium, curam, diligentiam, meum*que unà* laborem, . . . una mater oppugnat." *Cic. pro Cluent.* 70. [Vide suprà c. II. n. 82.]

Omninoque.

53. " Plurimumque poëtis nostris, *omninoque* Latinis et literis luminis attulisti, et verbis." *Cic. Acad.* I. 3. " De virtutibus, et vitiis, *omninoque* de bonis rebus, et malis." *Ib.* 4. " Id quale sit, *omninoque*, quid istic agatur, facias me velim certiorem." *Id. ad Fam.* XII. 25. Adde *Partit.* 15; 16: et *Acad.* IV. 12. [Vide suprà c. II. n. 83.]

Rursúsque et *-que rursùs.*

54. " At verò interitus exercituum, . . . clades imperatorum, . . . civium expulsiones, calamitates, fugæ; *rursúsque* secundæ res, honores, imperia, victoriæ, . . . sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt." *Cic. de Off.* II. 6. " Quo ex genere sunt querelæ, incitationes, miserationesque flebiles; *rursúsque* oratio cùm iracundiam restinguens, tum metum eripiens, tum exsultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abstergens." *Id. Topic.* 22.— " Hoc oratoris esse maximè proprium, rem augere posse laudando, vituperando*que rursùs* affligere." *Cic. Brut.* 12. [Vide suprà c. II. n. 182.]

Contráque.

55. " Omni in re quid sit veri, videre, et tueri, decet: *contráque* falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, quàm delirare, et mente esse captum." *Cic. de Off.* I. 27. " Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: *contráque* summa laus, quòd plerique minimè timendum fuisse senserunt." *Id. pro Marcell.* 6. " Novi animum, tum mihi amicissimum, tum nullâ in ceteros malevolentiâ suffusum; *contráque*, cùm magnum et excelsum, tum etiam apertum et simplicem." *Id. ad Fam.* I. 9. " Quæ autem secundùm naturam essent, ea sumenda . . . docebat: *contráque* contraria." *Id. Acad.* I. 10. Adde *de Fin.* II. 13; 17; III. 6; 15: et *de Off.* I. 18: et *ad Att.* XI. 18.

Potiúsque et *-que potiùs.*

56. " Primùm quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior: *potiúsque* refello, propter id, quod—" *Cic. Acad.*

IV. 18. "Te oro, ne quid existimes ab illo factum esse, quò minùs mea in te officia constarent, minúsve te diligerem; *potiúsque* semper illum auctorem nostræ conjunctionis fuisse." *Id. ad Att.* XI. 12.—"Quamobrem mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, cùm ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemur*que potiùs* liberos nostros—" *Cic. de Orat.* I. 5. "Sed nec illa exstincta sunt,—alunturque *potiùs*, et augentur, cogitatione et memoriâ,—et, si illis planè orbatus essem, magnum tamen—" *Id. de Amic.* 27. [Vide suprà c. I. n. 49. et c. II. n. 95.]

Vicissimque.

57. "Et, quidquid æquum justumque esset, id etiam honestum; *vicissimque*, quidquid esset honestum, id justum etiam, atque æquum, fore." *Cic. de Fin.* III. 21. "Quidquid aget quæque virtus, id à communitate, et eâ, quam exposui, caritate atque societate humanâ, non abhorrebit: *vicissimque* justitia, ut ipsa se fundet usu in ceteras virtutes, sic illas expetet." *Ib.* V. 23. "Ego enim sic existimo:—si sint ea genera divinandi vera, de quibus accepimus, quæque colimus, esse deos; *vicissimque*, si dii sint, esse, qui divinent." *Id. de Div.* I. 5. "Ut dandis, recipiendisque, meritis, quod quisque minùs per se ipse posset, id acciperet ab alio, *vicissimque* redderet." *Id. de Amic.* 8. "Ad id se admovet, *vicissimque* accipit illud, quod in altero est." *Ib.* 27. Adde *de Univ.* 5; 9. [Vide suprà c. II. n. 117.]

-Que in formulis comparationis, *etc.*

Idem—, -que—.

58. "Non *idem* judicum, comessatorum*que*, conspectus." *Cic. pro Cœl.* 28. "Nunc denique est perfectum, ut imperii nostri, terrarum*que* illarum, *idem* esset extremum." *Id. de Provinc.* 13. "*Eadem* est feminæ, maris*que*, natura." *Cæs. de B. G.* VI. 25. "Nuntium Romam *eumdem* ad patrem, Ardeam*que* ad virum, mittit." *Liv.* I. 58. "Non *iidem* tibi sint, aliis*que*, triumphi." *Tibull.* IV. 1. 136. [Vide suprà c. I. n. 61. et c. II. n. 118.]

Par—, -que—. Pariter—, -que—.

59. "Pestilentia incesserat *pari* clade in Romanos, Pœ-

nos*que*." Liv. XXVIII. 46. " Cujus *pari* exitio viguit, ceciditque." Tacit. Ann. IV. 1.—" *Pariter* Patribus, plebique, acceptus." *Liv.* III. 64. " Complorati omnes, *pariter* vivi, mortuique." Id. V. 39. " Et, quamquàm nova res erat, tamen tanta cura Patres incessit, ut *pariter* eam susceptam, neglectamque, timerent." *Id.* VIII. 29. " Solers cunctatio Fabii . . . contemta erat inter cives, armatos *pariter*, togatosque." Id. XXII. 23. " Campani, auditâ suâ *pariter*, sociorumque, clade—" *Id.* XXV. 15. " Præsidium . . . vigiliis diurnis *pariter*, nocturnisque, . . . confectum." *Id.* XXXI. 46. " Hæc dicta *pariter*, probataque." Tacit. Hist. I. 56. Adde *Liv.* X. 41; XXVIII. 32; XXIX. 31: et *Virg. Ge.* I. 455: et *Æn.* I. 714; V. 508; 521; IX. 559; X. 222; 347. [Vide suprà c. I. n. 71. et 73. et c. II. n. 120.]

Juxtà—, -que—.

60. " *Juxtà* boni, malique; strenui, et inbelles, inulti obtruncati." *Sall. Jug.* 67. " Eorum ego vitam, mortemque, *juxtà* æstumo, quoniam de utrâque siletur." *Id. Catil.* 2. " Ita cuncti suæ, hostiumque, vitæ *juxtà* pepercerant." *Ib.* 61. " Nobis, qui intùs agimus, *juxtà* diebus, noctibusque, tacitus labitur mundus." *Plin.* II. 3. " Sedes illis nemora, alimenta baccæ; capillus *juxtà* feminis, virisque, in probro existimatur." *Id.* VI. 13 (14). Et ita *idem* IX. 35 (53); et 41 (65). [Vide suprà c. I. n. 83. et c. II. n. 123.]

Simul—. -que—.

61. I. Pro *pariter—, -que—.* " Romanus, odio accensus, impium Fidenatem, prædonem Veientem, . . . imbelles hostes compellans, factis *simul*, dictisque, odium explet." *Liv.* IV. 32. " His *simul* inflatus, exacerbatusque, jam per se accensos incitabat plebis animos." *Id.* VI. 18. " Adeste, dii, testes fœderis, et expetite pœnas, debitas *simul* vobis violatis, nobisque per vestrum numen deceptis." *Id. ib.* 29. " Hoc principium *simul*, omenque, belli . . . victoriam Romanis portendit." *Id.* XXI. 29. " Alienatâ mente *simul* luctu, metuque." Id. XXIV. 26. " Hic Quinctium, *simul* pugnantem, hortantemque suos, incautum hastâ transfigit." *Id.* XXVI. 39. Hæc . . . corpora *simul*, animosque, ad bellum acuebant." *Ib.* 51. " Binis eâdem horâ captis *simul*, incensisque, castris." *Id.*

XXX. 30. Adde XXXI. 30; XXXII. 5: et *Tacit. Ann.* V. 10; VI. 37. [Vide suprà c. I. n. 93. et c. II. n. 125.]

62. II. Pro *eodem tempore—, -que—.* "Legati ex Africâ Romani *simul*, Carthaginiense*sque*, quum venissent Romam;—" *Liv.* XXX. 40. "Rarò *simul* hominibus bonam fortunam, bonam*que* mentem, dari." *Id. ib.* 42.

63. III. In numeris enuntiandis *simul—, -que—* ita versatur, ut summam, quæ ex binis numeris sit confecta, declaret.—"Duodecim millia hostium cæsa, Sardorum *simul*, Pœnorum*que*." Liv. XXIII. 40. "Ita raptim educti, quum universi sexcentorum ægrè, *simul* equites, pedites*que*, numerum explêssent;—" *Id.* XXXI. 41.

Unà—, -que—.

64. "Teli stridorem aurasque sonantes Audiit *unà* Aruns, hæsit*que* in corpore ferrum." *Virg. Æn.* XI. 863.

In vicem—, -que—.

65. "Credidêre regii, genus pugnæ, quo assuêrant, fore: —ut equites, *in vicem* insequentes, refugientes*que*, nunc telis uterentur, nunc terga darent." *Liv.* XXXI. 35. "Refugiendo *in vicem*, insequendo*que*." Id. XXXII. 18.

Unus idemque.

66. "Cùm alia (*sc.* sidera) majorem lustrarent orbem, alia minorem; tardiúsque majorem, celeriúsque minorem; motu verò *unius ejusdemque* naturæ:—" *Cic. de Univ.* 9. "Promulgantur *uno eodemque* tempore rogationes ab eodem tribuno de meâ pernicie, et de provinciis consulum nominatim." *Id. pro Sext.* 10. Adde *in Senatu* 7; et *pro Domo suâ* 38. *Liv.* XXV. 8. [Vide suprà c. I. n. 115. et c. II. n. 133.]

Unus alterque.

67. "Romanus ... *uno alteroque* subinde ictu ventrem atque inguina hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem." *Liv.* VII. 10. Adde *Tacit. Ann.* XIII. 46: et *Hist.* II. 75. [Vide suprà c. I. n. 116. et c. II. n. 134.]

Alius aliusque, aliter aliterque.

68. "Non easdem (febres) inordinatè redire, sed *alias aliasque* subinde oriri, dicunt." *Cels.* III. 3. "Cancer... *aliis aliisque* signis discernitur." *Id.* V. 26. 31. "Ex *aliis aliisque* partibus convolant." *Auct. ad Herenn.* IV. 55.—"Cùm *aliter aliterque* in eodem morbo febres accedant." *Cels.* III. 3. "Modò corpus inæquale est, tumoribus *aliter aliterque* per totum id orientibus." *Id. ib.* 21. "In oculis, quæ manum postulant,... *aliter aliterque* curantur." *Id.* VII. 7. [Vide suprà c. I. n. 118. et 119.]

Semel iterúmque, iterùm iterúmque.

69. "Quod *semel* ille *iterúmque* neglexit." *Cic. de Div.* I. 25.—"Equidem id maximè præcipiam, ac repetens *iterùm iterúmque** monebo." *Quinctil. Inst. Orat.* II. 13. Adde *Martial.* II. 14. 13. et *Stat. Theb.* XII. 100. *Virgilius* autem in illis, *Æn.* II. 770. et III. 436., geminavit *-que*, hiatûs causâ. [Vide suprà c. I. n. 123-4.]

Magis magisque.

70. "Sed mihi *magis magisque* quotidiè de rationibus tuis cogitanti, placet—" *Cic. ad Fam.* II. 18. "Illa in dies singulos *magis magisque* opinio hominum confirmatur." *Ib.* VI. 4. Adde *Phil.* I. 2: et *ad Fam.* XVI. 21. *Auct. ad Herenn.* IV. 11. *Sall. Catil.* 5: et *Jug.* 6; 7; 53. [Vide suprà c. I. n. 125. et c. II. n. 138.]

Plùs plúsque.

71. "Quem mehercule *plùs plúsque* in dies diligo." *Cic. ad Att.* VI. 2. Adde *Plaut. Aul.* III. 6. 10.

Minùs minúsque.

72. "Mihi jam *minùs minúsque* obtemperat." *Terent. Heaut.* III. 3. 33. [Vide suprà c. I. n. 126.]

-Que figuratè adhibitum.

73. I. Ἓν διὰ δυοῖν.—"Ejus adspectus, concursatio, sti-

* Ed. multæ *iterúmque iterúmque*: et rectè docet *Burm.*, auctorem ante oculos habuisse *Virg. Æn.* III. 436.: sed ex eo non continuò efficitur, etiam numeros poëticos integros conservâsse, et *-que* illud otiosum retinuisse.

patio, greges hominum perditorum, *metum* nobis, *seditionesque*, afferebant." *Cic. pro Sull.* 23. i. e., metum seditionum. "Ad montes sylvasque vertunt fugam: plurimique ibi à *fallaci equitum specie, agasonibusque*, excepti sunt." *Liv.* VII. 15. i. e., ab agasonibus, fallacem equitum speciem præ se ferentibus. "Satis constabat, lecto testamento Agricolæ, quo coheredem optimæ uxori et piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum, velut *honore judicioque*." Tacit. Agric. 43. i. e., honorifico judicio. "Pallam *signis auroque* rigentem." *Virg. Æn.* I. 648. i. e., signis aureis. "In *partem prædamque*." Ib. III. 223. i. e., partem prædæ. "Hinc exaudiri *gemitus iræque* leonum." *Ib.* VII. 15. i. e., gemitus per iram editi.—Huc referre licet *-que* in epexegesi: "Patres, satis superque gratuiti furoris in multitudine credentes esse, *largitiones, temeritatisque invitamenta*, horrebant." *Liv.* II. 42. "Nec pedes . . . (par erat) veliti Romano, *parmam gladiumque habenti, pariterque et ad se tuendum, et ad hostem petendum, armato*." Idem XXXI. 35. "Qui . . . sacra . . . *flagitio stuproque* violârit." *Cic. de H.R.* 5. [Vide suprà c. I. n. 127. et c. II. n. 139.]

74. II. Ὕστερον πρότερον.—"Mater delira *necabit* In gelidâ fixum ripâ, *febrimque reducet*." Horat. Serm. II. 3. 293. "Sæpe etiam audacem *fugat* hoc, *terretque*, poëtam." *Id. Epist.* II. 1. 182. "Tu mihi *terram Injice* (namque potes), *portusque require Velinos*." Virg. Æn. VI. 365. "Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna, *Castigat*que, *auditque*, dolos." *Ib.* 566. "Progressi *subeunt luco, fluviumque relinquunt*." Ib. VIII. 125. [Vide suprà c. II. n. 140.]

-Que geminatum.

75. I. Hujusce copulæ geminatio in solutâ oratione non nimis usitata est: ceterùm rem *Sallustii* gravissimâ auctoritate nitentem non equidem improbem: illud tantùm moneo, prius quodque *-que* cum pronomine ferè esse conjungendum, et quidem monosyllabo.—"Duabus his artibus . . . se*que*, rem*que* publicam, curabant." *Sall. Catil.* 9. "Fuêre tamen cives, qui se*que*, rem*que* publicam, obstinatis animis perditum irent." *Ib.* 36. "Me*que*, regnum*que* meum, gloriâ honoravisti." *Id. Jug.* 10. "Ita se*que*, illis*que*, dignum fore." *Ib.* 21. "Philæni, conditione probatâ, se*que*, vitam*que*, reipublicæ condonavêre." *Ib.* 79. "Hæc atque talia majores

vestri faciundo se*que*, rem*que* publicam, celebravère." *Ib.* 85. "Me*que*, vos*que*, in omnibus rebus juxtà geram." *Ibid.* "Prætereà, si quid me*que*, vobis*que*, dignum petiveris, haud repulsus abibis." *Ib.* 110. Adde *Tacit. Ann.* II. 3.

76. Trita autem est hujusce geminationis cum binis relativis conjunctio.—"Mihi etiam, qui*que* optimè dicunt, qui*que* id facillimè atque ornatissimè facere possunt, tamen, nisi timidè ad dicendum accedunt, . . . pænè impudentes videntur." *Cic. de Orat.* I. 26. "Omnes eam rogationem, qui*que* Romæ, qui*que* in exercitu, erant, . . . in contumeliam ejus latam acceperunt." *Liv.* XXII. 26. "Captivi, qui*que* Campanorum, qui*que* Hannibalis militum, erant, Romam missi." *Id.* XXIV. 19. "Post eam diem, qui*que* exissent, qui*que* ibi mansissent, hostium futuros numero." *Id.* XXV. 22. Adde XXVI. 51; XXIX. 21.

77. Et nimirùm hâc ratione licet *-que* vel trigeminare: immò verò in enumeratione quantumvis longâ adhibere.—"Quorum omnium quæ*que* sint notitiæ, quæ*que* significentur rerum vocabulis,* quæ*que* cujusque vis et natura sit, mox videbimus." *Cic. de Fin.* V. 21.

78. II. Apud poëtas autem *-que* geminatum nusquam ferè non reperitur. Elegantissimè autem in versu claudendo versatur in carmine heroico, ita scilicet, ut alterum *-que* secundam syllabam dactyli in quinto loco expleat, alterum ipsum versiculum claudat: id quod jam diu monuit Erythræus in Indice suo in Virgilium. Sic *Virg. Æn.* I:—"tendit*que*, fovet*que*." "cœlum*que*, diem*que*." "hominum*que*, deûm*que*." etc.—Illud prætereà animadvertendum, apud eosdem poëtas *-que* in priore membro geminationis nonnumquam esse expletivum, vimque propriam habere nullam: quæ quidem ratio numerum explendi non magnoperè comprobanda videtur. Sic *Virg. Æn.* V. 169:—"Inter navem*que*† Gyæ, scopulosque sonantes." Idemque *ibid.* XI. 72:—"Vestes ostro*que*, auroque, rigentes." quem ad locum annotavit Servius:—"*Que* vacat, et est additum hiatûs causâ."—Ex iisdemque poëtis, tanti si res esset, haud difficile

* *Quæque* etc.] Hæc vitiosa sunt: intereà, dum melius fuerit ab aliquo excogitatum, legas, probante Ernesti, *queisque significentur vocabulis.*

† Sic τε metri causâ interjicere, Homero planè usitatum est.

foret hujusce geminationis plurimas formulas speciales excerpere, ut illas:—

1. *Pariter—que, —que—*. Virg. Æn. II. 729: et Ovid. Met. XII. 597.

2. *Unà—que, —que—*. Virg. Æn. I. 85.

3. *—Que, —que vicissim.* Horat. de A. P. 11.

—Que, et—, pro *-que* geminato.

79. *—Que, et—*, pro *-que* vel *et* geminato, Græcorum formulam exprimit illam elegantem, *—τε, καὶ—*: estque optimis historicis usitatissimum, à poëtis quoque sæpe adhibitum, ab oratoribus non item. Illud autem monuerim, hanc formulam tum esse elegantissimam, cùm inter binas copulas nihil sit interjectum.—"Obportunitas suæ*que, et* liberorum, ætatis." *Sall. Jug.* 6. "Adherbali suadent, uti se*que, et* oppidum, Jugurthæ tradat." *Ib.* 26. "Interim Romæ gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus;—ut se*que, et* exercitum, more majorum gereret; *etc.*" Ib. 55. "Id ibi*que, et* in omni Africâ,—" *Ib.* 89. "Aquâ modò se*que, et* jumenta, onerare." *Ib.* 91. "Marius . . . illos*que, et* Sullam, venire jubet." *Ib.* 104. "Illi*que, et* inde ad nostram memoriam Romani, sic habuêre:—" *Ib.* 114. "Sed dii*que, et* homines, prohibuêre redemtos vivere Romanos." *Liv.* V. 49. "Equidem Pol in eam partem accipio*que, et* volo." *Terent. Eun.* V. 2. 37. Adde *Liv.* IX. 6; X. 30; XXII. 44; XXIV. 39; 47; XXV. 14; 16; 37; XXVI. 48; XXVII. 21; XXVIII. 17; 44; XXIX. 22; 25. *Tacit. Ann.* I. 71; II. 6; XII. 51; 60. *Propert.* II. 16. 11-12. *Virg. Æn.* VIII. 361; 731. *Plaut. Capt.* II. 2. 63. *Terent. Adel.* I. 1. 39: et *Phorm.* V. 8. 62.—Omnino frigidiùs autem à *Livio* adhibita est hæc formula, ut sæpe alibi, sic in illo, XXV. 37:—"Inde in castra avidos adhuc cædis*que, et* sanguinis, reduxit." Nimirùm, conjunctio rerum tam facilè coalescentium, quàm *cædes* ac *sanguis*, talem emphasin parùm commodè fert: et quidem, ex hisce nominibus si unum modò esset adhibitum, haud scio, an nihil esset futurum, cur alterum lector magnoperè desideraret. Plura exempla, qui volet, inter loca reperiet suprà citata.—In illo *Virgilii* quoque, *Æn.* V. 467., ad sensum

quod attinet, supervacuum est *-que* :—" Dixit*que, et* prœlia voce diremit."

80. Huc referatur —*que, et*—, *et*—. " Nullâ in præsens formidine, dum Augustus ætate validus se*que, et* domum, *et* pacem, sustentavit." *Tacit. Ann.* I. 4. " Ad ea Cæsar veniam ipsi*que, et* conjugi, *et* fratribus, tribuit." *Ib.* XII. 37. Adde *Sall. Jug.* 76: et *Terent. Hecyr.* III. 5. 38.

-Que, ac vel *atque*—pro *-que* geminato.

81. *-Que, ac* vel *atque*—, pro *-que* geminato, nolim imitari.—" Et Acarnanas, quos ægrè ferrent Ætoli à corpore suo diremtos, restituturum se in antiquam formulam juris*que, ac* ditionis, eorum." *Liv.* XXVI. 24. Adde *Tacit. Ann.* IV. 3. —" Uterque opibus*que, atque* honoribus, perviguêre." *Tacit. Ann.* IV. 34. Adde *Virg. Æn.* VIII. 486.

-Que simplex pro *-que* geminato.

82. Simplex *-que*, pro *-que* geminato, vel pro *pariter*—, —*que*—(59), in contrariis elegantissimè versatur.—" An censes, (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores, diurnos nocturnos*que*, domi militiæ*que*, suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus?" *Cic. de Senect.* 23. " Interim omnibus, Romanis hostibus*que*, prœlio intentis, . . . repentè à tergo signa canere: ac primò mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat; postremò cuncti, armati inermes*que*." Sall. Jug. 94. " Amicitias inimicitias*que*, non ex re, sed ex commodo, æstumare." *Id. Catil.* 10. " In civitate tanto discrimine belli sollicitâ, quum omnium secundorum adversorum*que* causas in deos verterent, multa prodigia nuntiabantur." *Liv.* XXVIII. 11. " Cum Haunibale nihil eo anno rei gestum est: nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico privato*que*, neque lacessierunt quietum Romani." *Ib.* 12. " Qui superfuerant è magnâ clade, liberi servi*que*, inter ceteram prædam abducti." *Id.* XXXI. 41. Exempla sunt ubivis ferè obvia: illa autem trita passim, *domi militiæque, terrâ marique, dies noctesque.*

83. Hâc ratione cum binis verbis constructum, *-que* nonnumquam declarat *modò*—, *modò*—, vel *nunc*—, *nunc*—.

"Ætolos, Acarnanas, Macedonas, ejusdem linguæ homines, leves ad tempus ortæ causæ disjungunt, conjunguntque: cum alienigenis, cum barbaris, æternum omnibus Græcis bellum est, eritque." *Liv.* XXXI. 29.

84. Aliquando non tam vicissitudinem, quàm divisionem quamdam, significat.—"Sed profectò Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas exlubidine magis, quàm ex vero, celebrat, obscuratque." Sall. Catil. 8. Id est:—Ea ex lubidine magis, quàm ex vero, alias res celebrat, alias obscurat: vel potiùs, Ea res cunctas,—quasque celebrat, quasque obscurat,—ex lubidine magis, quàm ex vero, moderatur.

Nec—, —que—. Neque—, —que—.

85. "Ex quo intelligitur, *nec* intemperantiam propter se fugiendam esse; temperantiam*que* expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia majores consequatur." *Cic. de Fin.* I. 14. "Quâre illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio: *nec* enim in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum, fuit; nostra*que*, ut mihi videtur, dilucida oratio." *Ib.* III. 1.—"Arcanum *neque* tu scrutaberis illius umquam; Commissum*que* teges, et vino tortus et irâ." *Hor. Epist.* I. 18. 37. "Defleo equidem filium meum, semperque deflebo: sed *neque* reum prohibeo, quò minùs cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui, possit; vos*que* oro, ne, quia dolori meo causa connexa est, objecta crimina pro approbatis accipiatis." *Tacit. Ann.* III. 12. "Tum *neque* te ipsum non esse commotum; Marcum*que* Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos." *Cic. de Div.* I. 32. "At iste, qui senatu non egeret, *neque* desideravit quemquam—et potiùs discessu nostro lætatus est, statim*que* illa mirabilia facinora effecit." *Id. Phil.* II. 42. "Qui, si istic affuissem, *neque* tibi defuissem, corám*que* meum dolorem tibi declarâssem." *Sulpic. apud eumd. ad Fam.* IV. 5. [Vide suprà c. II. n. 207.]

—Que, et—.

86. *—Que, et—*, in continuationibus trimembribus, cùm omnibus omnium generum scriptoribus, tum maximè his-

toricis, usitatum est: illud autem animadvertendum, conjunctionem tum esse elegantissimam, cùm inter binas copulas nihil sit interjectum. Ceterùm in hâc formulâ adumbrata est imago illius Græcorum,—τε, καὶ—. "Abundè pollens, potens*que*, *et* clarus." *Sall. Jug.* 1. "Vineis, turribus*que*, *et* machinis omnium generum, expugnare adgreditur." *Ib.* 21. "Obtestatur, uti aliquando sibi, liberis*que*, *et* genti Numidarum ... provideat." *Ib.* 62. "Armis, viris*que*, *et* pecuniâ, spoliatus." *Ibid.* "Fidus, adceptus*que*, *et* omnium consiliorum ... particeps." *Ib.* 71. "Limum, arenam*que*, *et* saxa ingentia, fluctus trahunt." *Ib.* 78. "Ibi Metellus prædam, captivos*que*, *et* inpedimenta, locaverat." *Ib.* 81. "Hostem tormentis, sagittariis*que*, *et* funditoribus, eminùs terrere." *Ib.* 94. Sed exempla res usitatissima vix poscere videtur: plura si quis exegerit, eum ad *Livii* omnem paginam revocabo: apud *Tacitum* quoque, copulas si quando adhibet, (est enim earum parcissimus) eamdem formulam plerúmque adgnoscas.

INDEX.

(*Numeri indicant capitum sectiones.*)

A.

Ac et Atque : quomodò utrumque fuerit factum, 1. quibus literis utrumque soleat præponi, *ibid.* usus copulativus; discrimen notabile inter hasce duas copulas, et illas alteras—*et*, *-que*, 2. augentis, 3. in correctione intensivâ, 4. in explanatione, 5. in ante-occupatione, 6. in transitione, 7. in commonitione, sive conclusione partitivâ, 8. in præteritione, 9. abrumpentis, 10. in parenthesi, 11. in responsione soliloquentis, 12. pro *atque in primis*, 13. pro *sicut*, 14. pro *tum*, 15. pro *continuò* vel *statim*, 16. quasi pro *neque*, 17. *Atque is*, 18. *atque id* [καὶ ταῦτα], 19. *atque id tamen* in modificatione, 20. *Atque is quidem*, 21. *Atque equidem* pro *atque id*, 22. *Atque idem:*—augentis, 23. discretivum, 24. *Atque ita:*—amplificantis, 25. distinguentis et explanantis, 26. in modificatione, 27. exitum rei declarans, 28. pro *et, hæc effatus, continuò*, 29. *Atque eò magis*, etc., 30. *Atque eò minùs*, 31. *Ac maximè*, 32. *Atque in primis*, 33. *Atque etiam*, 34-6. *quoque*, 37. *item*, 38. *insupèr*, 39. *Ac non*, 40-5. *Atque non*, 46-7. *Ac tamen* et *atque—tamen*, 48. *Ac potiùs* et *atque—potiùs*, 49. antecedente *non*, omitti solere *potiùs*, 50. *atque—potiùs* in monitione, 51. *ac potiùs* in correctione intensivâ, 52. *Ac potissimùm*, 53. *Atque adeò*, 54-7. *Ac—quidem*, 58-9. *Ac nimirùm*, 60. *Ac* et *atque* in formulis comparationis, *etc.:—idem—*, *ac* vel *atque—*, 61-2. *totidem*, 63. *unus* (pro *idem*), 64. *item*, 65. *talis*, 66. *is* (pro *talis*), 67. *æquus, æquè*, 68-70. *par, pariter*, 71-5. *dispar*, 76. *similis, similiter*, 77-80. *dissimilis*, 81-2. *juxtà*, 83-4. *perinde*, 85-7. *proinde*, 88. *pro eo*, 89-90. *dignè*, 91. *proximè*, 92. *simul—*, *ac* vel *atque—*, 93. *simul ac* vel *atque*, 94. sequente *continuò*, 95. *statim*, 96. *illicò*, 97. *jam*, 98. *simul ac primùm*, 99. *unà—*, *ac—*, 100. *alius—*, *ac* vel *atque—*, 101. *alius—*, *atque alius—*, 102. *altusmodi*, 103. *aliter*, 104-6. *aliò, aliorsùm*, 107. *contrà, contrarius*, 108-109. *diversus*, 110. *secùs*, 111. 112. post comparativa, 113. *Par atque idem, par atque unus*, 114. *unus atque idem*, 115. *unus atque alter*, 116-7. *alius atque alius*, 118. *aliter atque aliter*, 119. *alibi atque alibi*, 120. *hic atque hic. hic atque ille ;* etc., 121. *etiam atque etiam*, 122. *semel atque iterùm*, 123. *iterùm atque iterùm*, 124. *magis ac magis*, 125. *minùs ac minùs*, 126. Ἓν διὰ δυοῖν, 127.

Adeò : *atque*, 54-7.

Adhuc : *et—*, *et—*, 166.

Æquè : *ac* vel *atque—*, 69. *ac si*, 70. *et*, 119. *et—*, *et—*, 151.

Æquus : *ac* vel *atque—*, 68. *et*, 119.

Alibi : *alibi atque alibi*, 120.

Aliò : *atque—*, 107.

Aliorsùm : *atque*—, 107.
Aliter : *aliter*—, *ac* vel *atque*—, 104. *non aliter, ac si*—, 105. *aliter*—, *atque ut*—, 106. *aliter atque aliter*, 119. *aliter*—, *et*—, 131. *aliter aliterque*, 68.
Alius : *alius*—, *ac* vel *atque*—, 101. *alius*—, *atque alius*—, 102. *alius atque alius*, 118. *alius*—, *et*—, 131. *alius*—, *et alius*—, 132. *alius aliusque*, 68.
Alîusmodi : *ac* vel *atque*—, 103.
Alter : *unus atque alter*, 116-7. *et*, 134-6. *que*, 67.
Atque : vide *ac*.

B.

Bipartitò : *et*—, *et*—, 147.

C.

Certè : *et*, 112. *et*—, *et*—, 179. *nec*—, *et*—, 213.
Ceterùm : *et* (pro *etiam*)—, *ceterùm*— ; *et*—*quidem*—, *ceterùm*—, 29.
Communiter : *et*—, *et*—, 150.
Continuò : *simul ac* vel *atque*—, 95. omissum, II. 52 ; III. 28.
Contrà : *ac* vel *atque*—, 108. *tamquam*—, *et non*—, 90. *et*—, *et*—, 183. *contráque*, 55.
Contrarius : *ac* vel *atque*—, 109.
Cùm : *tum et*—, 32.

D.

Denique : *et*—, *et*—, *et*—, *et*—, 200.
Dignè : *ac*—, 91.
Dispar : *atque*—, 76.
Dissimilis : *atque*—, 81. *ac si*, 82. *et*, 122.
Diversus : *ac*—, 110.
Duo : *et*—, *et*—, 145.
Duplex, dupliciter : *et*—, *et*—, 146.

E.

Eò : *atque*, 30-1. *et*, 65-71. *que*, 39-42.
Equidem : *atque equidem* pro *atque id*, 22.
Et : unde factum, 1. usus copulativus, *ibid.* augentis, 2. in correctione, 3. affirmantis, 4. concedentis, 5. explanantis, 6. discretivum, 7. consequentiam notans, 8-11. in transitione, 12. in commonitione, 13. in præteritione, 14. in parenthesi, 15-8. pro *etiam*, 19-20. formulæ speciales :—*non modò*—, *sed et*— ; etc. 21-4. *quidem*—, *sed et*—, 25. omisso *quidem*, 26. *primùm*— — ; *sed et*— —, 27. *quidem et*—, *sed*—, 28. *et*—, *ceterùm*— ; *et*—*quidem*—, *ceterùm*—, 29. *ut*—, *sic et*— ; etc., 30-3. *idem*—, *qui et*—, 34. *simul et*, 35. *quin et*, 36. *nec non et*, 37. pro *etiam*, emphaticum, 38-41. diminutivum, 42. ἐπιδοτικόν, addito *quoque* vel *etiam*, 43. pro *quin etiam*, 44. pro *et tamen*, 45. in interrogationibus, 46. inter bina verba modi imperativi, 47. pro *atquî*, 48. pro *præsertim*, 49. pro *et in primis*, 50. pro *et vicissim*, 51. pro

et continuò, 52. pro *cùm*, 53. pro *tum*, 54. *Et is*:—distinguentis, 55. augentis, 56. minuentis, 57. *et id* (subintellecto *facere*), 58. *Et idem*:—augentis, 59. distinguentis, 60. adversativum, 61. *Et ita*:—amplificantis et explanantis, 62-3. exitum rei declarans, 64. *Et eò* cum comparativis, 65-71. *Et maximè*, 72. *in primis*, 73. *præcipuè*, 74. *Et etiam*, 75-7. *item*, 78. *præterea*, 79. *simul*, 80-1. *unà*, 82. *omnino*, 83. *Et non*:—explanantis, 84-91. discretivum, 92. *Et tamen*, 93. in correctione, pro *quamquàm*, 94. *Et potiùs*, 95. in correctione intensivâ, 96. *Et porrò*, 97. *Et quidem*:—affirmantis, 98-9. assentientis, 100. explanantis, 101. amplificantis, 102. ironicum, 103. *Et is quidem*:—definientis, 104. augentis, 105. minuentis, 106. *Et hic quidem*, 107. *Et nimirùm*, 108. *scilicet*, 109. *videlicet*, 110. *si quæris*, 111. *Et certè*, 112. *profectò*, 113. *sanè*, 114. *verò*, *verò etiam*, 115. *fortasse*, 116. *vicissim*, 117. *Et* in formulis comparationis, *etc.*:—*idem*—, *et*—, 118. *æquus*, *æquè*, 119. *par*, *pariter*, 120. *similis*, *similiter*, 121. *dissimilis*, 122. *juxtà*, 123. *perinde*, 124. *simul*, 125-9. *unà*, 130. *alius*—, *et*— ; *aliter*—, *et*—, 131. *alius*—, *et alius*—, 132. *unus et idem*, 133. *unus et alter*, 134-6. *hic et hic*, *hic et ille*, 137. *magis et magis*, 138. *Et* figuratè adhibitum :—Ἓν διὰ δυοῖν, 139. Ὕστερον πρότερον, 140. Παρὰ προσδοκίαν, 141. postpositum poëticè, 142. geminatum, 143-4. formulæ speciales:—*duo*— ; *et*—, *et*—, 145. *duplex*, *dupliciter*, 146. *bipartitò*, 147. *uterque*, 148. *idem et*—, *et*—, 149. *eodem tempore*, 150. *communiter*, 151. *æquè*, 152. *pariter*, 153. *simul*, 154-6. *unà*, 157. *uno tempore*, 158. *et ipse*—, *et*—, 159. *et*—, *et idem*—, 160-1. *et*—, *et*—*etiam*—, 162. *quoque*, 163. *item*, 164. *præterea*, 165. *adhuc*, 166. *porrò*, 167. *et*—, *et, quod plus est*, —, 168. *et*—, *et pænè*—, 169. *et*—, *et omnes*—, 170. *et*—, *et non*—, 171. *et non*—, *et*—. 172. *non et*—, *et*—, 173. *et*—, *et tamen*—, 174. *et*—, *et scilicet*—, 175. *utique*, 176. *et*—, *et verò* ; *et verò etiam*—, 177-8. *certè*, 179. *profectò*, 180. *fortasse*, 181. *et*—, *et rursùm* ; *et rursùs*—, 182. *contrà*, 183. *vicissim*, 184. *eodem modo*, 185. *et*—, *et maximè*—, 186. *in primis*, 187. *præcipuè*, 188. *vehementiùs*, *accuratiùs*, 189. *et*—, *et*—, pro *et vicissim*, 190. pro *et*—, *et maximè*—, 191. pro *non*— *tantummodò*, *sed*—, 192. pro *simul et*—, *et*—, 193. pro *vel*—, *vel*—[ἤμὲν—, ἤδὲ—], 194. discretivum, 195. *et*—, *et*—, *etiam*—, 196. *et*—, *et*—, *et*—, 197. *et*—, *et*—, *et*—, *postremò*—, 198. *et*—, *et*—, *et*—, *et*—, 199. *et*—, *et*—, *et*—, *et denique*—, 200. *et*—, *et*—, *et*—, *et*—, *etiam*—, 201. *et* omissum in parte posteriore longioris enumerationis, 202. *Et*—, —*que*—, pro *et* geminato, 203. *Et*—, *ac* vel *atque*—, 204. *Et*—, *nec* vel *neque*—, 205. *et*—, *nec* vel *neque tamen*—, 206. omisso *tamen*, 207. *Nec* vel *neque*—, *et*—, 208. *uterque*—, *neque*—, *et*—, 209. *nec*—, *et insupèr*—, 210. *et tamen*, 211. *et verò*, 212. *et certè*, 213. *et fortasse*, 214. *et multò minùs*, 215.

Etiam : *atque etiam*, 34-6. *etiam atque etiam*, 122. otiosum post *et ἐπιδοτικόν*, 43. *et etiam*, 75-7. *et verò etiam*, 115. *et*—, *et*— *etiam*—, 162. *et*—, *et verò etiam*—, 178. *et*—, *et*—, *etiam*—, 196, 201. *-que etiam*, 47.

F.

Fortasse : *et*, 116. *et*—, *et*—, 181. *nec*—, *et*—, 214.

H.

Hic : *hic atque hic, hic atque ille,* 121. *et hic quidem,* 107. *hic et hic, hic et ille,* 137.
Hîc, hinc, *etc.:* vide *hic.*
Hôc : *atque,* 30. *et,* 71.

I.

Jam : *simul ac—,* 98. *et,* 12. *-que,* 22.
Ibi : *ubi—, ibi et—,* 33.
Ibidem : *ubi et—,* 34.
Idem : *atque idem,* 23-4. *idem—, ac* vel *atque—,* 61. *ac si,* 62. *par atque idem,* 114. *unus atque idem,* 115. *idem—, qui et—,* 34. *et idem,* 59-61. *idem— , et—,* 118. *unus et idem,* 133. *idem et—, et—,* 149. *et—, et idem—,* 160-1. *et—, et eodem modò—,* 185. *idemque,* 36-8. *idem —, -que—,* 58. *unus idemque,* 66.
Ille : *hic atque ille,* 121. *et,* 137.
Illic, illinc, *etc.,* vide *ille.*
Illicò : *simul atque—,* 97.
Inprimis : *atque,* 33. *et,* 73. *et—, et—,* 187. *que,* 45. omissum, I. 13 ; II. 50.
Insupèr : *atque,* 39. *nec—, et—,* 210.
In vicem : *-que—,* 65.
Ipse : *et ipse* pro *ipse per se,* 39. *et ipse—, et—,* 159.
Is : *atque is,* 18-21. *is* (pro *talis*)*—, ac si—,* 67. *et is,* 55-8. *et is quidem,* 104-6. *isque,* 30-5.
Ita : *atque,* 25-9. *et,* 62-4.
Item : *atque item,* 38. *item—, atque—,* 65. *et item,* 78. *unus et item alter,* 136. *et—, et item—,* 164. *itemque,* 48.
Iterùm : *semel atque iterùm,* 123. *iterùm atque iterùm,* 124. *que,* 69.
Juxtà : *ac* vel *atque—,* 83. *ac si,* 84. *et,* 123. *que,* 60.

M.

Magis : *atque eò magis,* 30. *magis ac magis,* 125. *et,* 65-9 ; 138. *que,* 39-41 ; 70.
Maximè : *ac,* 32. *et,* 72. *et—, et—,* 186. *que,* 43. omissum, II. 191 ; III. 25.
Minimè : *que,* 44.
Minùs : *atque eò minùs,* 31. *minùs ac minùs,* 126. *et eò minùs,* 70. *nec—, et multò minùs—,* 215 : *eôque minùs,* 42 : *minùs minûsque,* 72.
Modò : *non modò—, sed et— ; verùm et—,* 21. *non modò—non—, sed et—,* 22.

N.

Nec, neque : *nec non et,* 37. *et—, nec* vel *neque—,* 205. *et—, nec tamen—,* 206. omisso *tamen,* 207. *nec* vel *neque—, et—,* 208. *uterque— ; neque—, et—,* 209. *nec—, et insupèr—,* 210. *et tamen,* 211. *et verò,* 212. *et certè,* 213. *et fortasse,* 214. *et multò minùs,* 215. *nec* vel *neque—, -que—,* 85.
Nimirùm : *ac,* 60. *et,* 108.

Nisi: *nisi verò—, et non—*, 88.
Non: *ac non*, 40-5. *atque non*, 46-7. *non—, ac* vel *atque—*, omisso *potiùs*, 50. *non aliter, ac si—*, 105. *non secùs, ac si—*, 112. *non modò—, sed et—, verùm et—*, 21. *non modò—non—, sed et—*, 22. *non solùm*, 23. *non—tantùm*, 24. *nec non et*, 37. *non et* pro *ne—quidem*, 40. *et non*, 84—92. *et—, et non—*, 171. *et non—, et—*, 172. *non et—, et—*, 173. *non—que*, 8.

O.

Omnes: *et—, et omnes—*, 170.
Omnino: *et*, 83. *que*, 53.

P.

Pænè: *et—, et—*, 169.
Par: *ac* vel *atque—*, 71. *ac si*, 72. *par atque idem, par atque unus*, 114. *par—, et—*, 120. *que*, 59.
Pariter: *ac* vel *atque—*, 73. *ac si*, 74. *atque ut*, 75. *et*, 120. *et—, et—*, 152. *que*, 59.
Perinde: *ac* vel *atque—*, 85. *ac si*, 86. *ac* vel *atque—*, pro *ac si—*, 87. *et—*, 124.
Plus: *et—, et, quod plus est,—*, 168. *plùs plúsque*, 71.
Porrò: *et—*, 97: *et—, et—*, 167.
Postremò: *et—, et—, et—, postremò—*, 198.
Potissimùm: *ac*, 53.
Potiùs: *ac non potiùs*, 42. et 45. *ac potiùs* et *atque—potiùs*, 49-52. *atque adeò—potiùs*, 55. *et non—potiùs*, 91. *et*, 95-6. *que*, 56.
Præcipuè: *et*, 74. *et—, et—*, 188. *que*, 46.
Prætereà: *et*, 79. *et—, et—*, 165. *que*, 49.
Prætérque, 50.
Primùm: *simul ac primùm*, 99. *primùm—, sed et—*, 27.
Pro: *pro eo—, ac—*, 89: *ac si*, 90.
Profectò: *et—*, 113. *et—, et—*, 180.
Proinde: *quasi—, ac non—*, 43. *ac si—*, 88.
Proximè: *atque—*, 92.

Q.

Quasi: *ac non—*, 43. *et non*, 89.
-Que: unde factum, 1. poëtis quàm necessarium, *ibid.* formulæ poëticæ, 2-4. in solutâ oratione formula probatissima, 5. in secundum locum projectum, 6-8. longiùs projectum poëticè, 9. monosyllabis subjunctum, 10-13. in geminationibus, 14-6. communi verbo adjectum, 17. ellipsis quædam vitanda, 18. augentis, 19. explanantis, 20. discretivum, 21. in transitione, 22. in conclusione, 23. pro *etiam* vel *quoque*, 24. pro *maximéque*, 25. pro *vicissimque*, 26. pro *proptereáque*, 27. pro *continuóque*, 28. pro *cùm*, 29. *Isque*:—augentis, 30. minuentis, 31. declarantis, 32. *idque* [καὶ ταῦτα] 33-4. *isque vel* cum superlativis, 35. *Idemque*:—augentis, 36. in continuationibus pro *et simul*, 37. vis discretiva, 38. *Eóque magis*, 39-41. *minùs*, 42. *Maximéque*, 43. *Miniméque*, 44. *In primisque*, 45. *Præcipuéque*, 46. *Que etiam*, 47. *Itemque*, 48. *Prætereáque*, 49. *Prætérque*, 50. *Simulque*, 51. *Unáque*, 52. *Omninoque*, 53. *Rursúsque*, 54. *Contráque*, 55. *Potiús-*

que, 56. *Vicissimque*, 57. *Que* in formulis comparationis, *etc.*:—*idem* —, *-que*, 58. *par*, *pariter*, 59. *juxtà*, 60. *simul*, 61-3. *unà*, 64. *in vicem*, 65. *unus idemque*, 66. *unus alterque*, 67. *alius aliusque*, *aliter aliterque*, 68. *semel iterúmque*, *iterùm iterúmque*, 69. *magis magisque*, 70. *plùs plúsque*, 71. *minùs minúsque*, 72. *Que* figuratè adhibitum: —Ἓν διὰ δυοῖν, 73. Ὕστερον πρότερον, 74. geminatum, 75-8. *Que*, *et*— pro *-que* geminato, 79-80. *Que*, *ac* vel *atque*—, pro *que* geminato, 81. *Que* simplex pro *que* geminato, 82-4. *Nec* vel *neque*—, *-que* —, 85. *Que*, *et*—, in trimembribus, 86.
Quemadmodùm: *sic et*—, 31.
Qui: *idem*—, *qui et*—, 34. *quique*—, *quique*—, 76-7.
Quidem: *si quidem*—, *ac non*—, 42. *ac*—*quidem*, 58-9. *quidem*—, *sed et*—, 25. omissum, sequente *sed et*, 26. *quidem et*—, *sed*—, 28. *et*—*quidem*—, *ceterùm*—, 29. *et eò quidem magis*, 69. *si quidem*—, *et non*—, 87. *et quidem*, 98—103. *et is quidem*, 104-6. *et hic quidem*, 107.
Quin: *quin et*, 36.
Quoque: *ac* et *atque*, 37. otiosum post *et* ἐπιδοτικόν, 43. *et*—, *et*—, 163.

R.

Rursùm, rursùs: *et*—, *et*—, 182. *-que*, 54.

S.

Sanè: *et*, 114.
Scilicet: *et*—, 109. *et*—, *et*—, 175.
Secùs: —*ac* et *atque*—, 111. *non secùs*, *ac si*—, 112.
Sed: *sed et*—, 21-7. *quidem et*—, *sed*—, 28.
Semel: *semel atque iterùm*, 123. *que*, 69.
Si: *atque ita*, *si*—, 27. *si*—, *ac non*—, 41-2. *ac si*, 62, 67, 70, 72, 74, 78, 80, 82, 84, 86, 88, 90, 105, 112. *si*—, *et non*—, 85-7. *et*, *si quæris*,—, 111. *eóque magis*, *si*—, 40.
Sic: *sic et*, 30-1.
Sicut: *sic et*—, 30.
Similis: *ac* vel *atque*—, 77. *ac si*, 78. *et*, 121.
Similiter: *atque*—, 79. *ac si*, 80. *et*, 121.
Simul: *simul*—, *ac* vel *atque*—, 93. *simul ac* vel *atque*, 94-8. *simul ac primùm*, 99. *simul et*, 35. *et simul*, 80-1. *simul*—, *et*—, 125-9. *simul et*—, *et*—, 154. *et*—, *et simul*—, 155. *simul et*—, *simul et*—, 156. *simulque*, 51. *simul*—, *-que*, 61-3.
Solùm: *non solùm*—, *sed et*—; *verùm et*—, 23.
Statim: *simul ac* vel *atque*—, 96.

T.

Talis: *ac* vel *atque*... 66.
Tamen: *atque id tamen*, 20. *ac tamen* et *atque*—*tamen*, 48. *et ita tamen*, 63. *et tamen*, 93-4. *et*—, *et tamen*—, 174. *et*—, *nec* vel *neque tamen*—, 206. *nec* vel *neque*—, *et tamen*—, 211. omissum, II. 45-7; 207.
Tamquam: *et non contrà*—, 90.
Tantùm: *non*—*tantùm*—, *sed et*—; *verùm et*—, 24.

Totidem: *atque—*, 63.
Tum: *cùm—, tum et—*, 32.

U.

Ubi: *ubi—, ibi et—*, 33. *ibidem—, ubi et—*, 34.
Unà: *ac—*, 100. *et*, 82. *et—*, 130. *et—, et—*, 157. *que*, 52. *-que—*, 64.
Unus: *unus* (pro *idem*)*—, atque—*, 64. *par atque unus*, 114. *unus atque idem*, 115. *unus atque alter*, 116-7. *unus et idem*, 133. *unus et alter*, 134-6. *uno tempore et—, et—*, 158. *unus idemque*, 66. *unus alterque*, 67.
Ut: *pariter—, atque ut—*, 75. *aliter—, atque ut—*, 106. *ut—, sic et—*, 30.
Uterque: *et—, et—*, 148. *neque—, et—*, 209.
Utique: *et—, et utique—*, 176.

V.

Vel: *isque vel*, 35.
Verò: *quasi verò—, ac non—*, 43. *et non*, 89. *et verò, et verò etiam*, 115. *et—, et verò—; et verò etiam—*, 177-8. *neque—, et verò—*, 212.
Verùm: *verùm et*, 21, 23, 24.
Vicissim: *et*, 117. *et—, et—*, 184. *que*, 57. omissum, II. 51, 190; III. 26.
Videlicet: *et*, 110.

INDEX LOCORUM EX SCRIPTORIBUS LATINIS, QUÆ VEL EXPLICANTUR, VEL EMENDANTUR.

Cic.: I. 19; 26; 106; 113; 125; 127: II. 7; 9; 16; 18; 34; 44; 49; 56; 61; 67; 68; 103; 149; 179; 180: III. 8; 15; 17; 34; 73; 77.
Herennium, Auct. Rhet. ad.: II. 92.
Horat.: II. 45: III. 17.
Liv.: I. 16: II. 29; 139; 143; 168: III. 18; 28; 73; 79.
Quinctil.: III. 69.
Sallust.: I. 127: II. 114: III. 84.
Stat.: I. 16.
Terent.: I. 5; 57.
Virg.: I. 13; 16: II. 41; 139; 140: III. 4; 9; 18; 21; 25; 73; 78; 79.

ERRATUM:—p. 10. l. 7. "prospero," *lege* propero.

FINIS.

LONDINI: EXCUDEBAT A. J. VALPY, A. M.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 039 644 3